





ИЗДАНИЕ

ИЗДАНИЕ

ИЗДАНИЕ

ИЗДАНИЕ

ИЗДАНИЕ

ИЗДАНИЕ

ИЗДАНИЕ

ИЗДАНИЕ

ИЗДАНИЕ

ИЗДАНИЕ

# Матеріалы


КЪ БЛИЖАЙШЕМУ ПОЗНАНІЮ

ПРОЗЯБАЕМОСТИ

РОССІЙСКОЙ ИМПЕРІИ.

ИЗДАНИЕ

ИМПЕРАТОРСКОЙ АКАДЕМІИ НАУКЪ.



КНИЖКА ЧЕТВЕРТАЯ.



САНКТПЕТЕРБУРГЪ.

1845.

ВЪ ТИПОГРАФИИ ИМПЕРАТОРСКОЙ АКАДЕМІИ НАУКЪ.

# Beiträge

zur


# Pflanzenkunde

des

**Russischen Reiches.**

Herausgegeben

von der Kaiserlichen Akademie der Wissenschaften.



Vierte Lieferung.



St. Petersburg, 1845.

Buchdruckerei der Kaiserlichen Akademie der Wissenschaften

Handwritten text at the top of the page, possibly a signature or title.

Handwritten text in the upper middle section, appearing to be a title or heading.

Handwritten text in the middle section, possibly a subtitle or a specific reference.

Handwritten text in the lower middle section, possibly a date or a location.

Handwritten text in the lower section, possibly a signature or a name.

Handwritten text at the bottom of the page, possibly a date or a reference.

Handwritten text at the very bottom of the page, possibly a signature or a name.

**IN HISTORIAM STIRPIUM  
FLORAE PETROPOLITANAE**

**DIATRIBAE.**

**AUCTORE**

**F. J. RUPRECHT.**





VIRO

DE FLORA PETROPOLITANA

OPTIME MERITO

J. A. WEINMANN

D.

AMERICAN ASSOCIATION OF

1911

NEW YORK

## AUCTORES.

1732. Buxbaum, J. Ch. Observationes circa quasdam plantas Ingricas. In Actis Acad. Petrop. III. p. 270 — 273.

1736. Siegesbeck, J. G. Primitiae Florae Petropolitanae sive Catalogus plantarum tam indigenarum, quam exoticarum, quibus instructus fuit hortus medicus Petriburgensis per annum 1736. Rigae 4<sup>o</sup>. (Indigenae plantae et cultae nulla distinguuntur nota.)

Mss. 1752 — 4. Krascheninnikow, vide Gorter 1761.

1761. Gorter, D. Flora Ingrica ex schedis Stephani Krascheninnikow confecta et propriis observationibus aucta. Petrop. 8<sup>o</sup>. — Opus mss. Krascheninnikowii apud Academiam Imp. sc. adhuc servatur; aliud gravissimum, Fungos saltem 430 Florae Petrop. continens, quod in mss. Tomi V Fl. Sibir. Gmelini senioris sine auctore adjecto citatum inveni, mox post vel paulo ante mortem Gmelini sen. et Krascheninnikowii (uterque † anno 1755) amissum videtur et ipsi Gortero ignotum mansit.

Mss. 1763. Laxmann, E. Designatio quarundam plantarum Ingricae, quas anno 1763 prope Petropolin legit Ericus Laxmann. (Mss. Academiae exhibitum edidit Gorter anno 1764.)

1764. Gorter, D. Appendix plantarum Florae Ingricae a Laxmanno, Falkio, Lomonosovio et Staehliano detectarum. — Exemplar unicum, quod vidi, Fl. Ingricae Gorteri adnexum sign. p. 191 — 205 exstat in Bibl. L. Baronis Graewenitz. Non confundenda cum hac appendice altera:

Mss. 1779. Appendix ad Floram Ingricam sive Catalogus plantarum circa Petropolin crescentium a Doctore Gregorio

Sobolewsky nuper detectarum et secundum ill. Linnaei systema definitarum, quae in Flora Ingrica non reperiuntur. (Ab auctore Sobolewsky Academiae Imp sc. transmissa 25 Novemb. 1779. Vide Acta Acad. 1783. Ipsum mss. apud Acad. adhuc depositum exstat.)

1790. Georgi, J. G. Pflanzen des St. Peterburg'schen Gouvernements. In dessen: Versuch einer Beschreibung von St. Petersburg. II. Band. p. 495 — 526.

1799. Sobolewsky, G. Flora Petropolitana. Petrop. 8°. Editionis rossicae parum tantum auctae et emendatae Vol. I. 1801. II. 1802. 8°.

1800. Georgi, J. G. Geographisch-physicalische und naturhistorische Beschreibung des russischen Reiches. (Volumini ultimo inest disperse Flora Ingrica.)

1801 et 1802. Sobolewsky, vide ejusd. 1799.

Mss. 1806? et sqq. Smelowsky, T. Prodrumus Florae Petropolitanae seu concinna plantarum sponte circa Petropolim crescentium descriptio. (Exordium mss. 1806? Acad. Imp. sc. exhibitum, anno 1809 continuatio: Diandriam monogyniam pertractans, 1815 item continuatio. Vide Acta Acad. Imp sc. Numquam impressum, nec mss. conspexi.)

1811. Liboschitz, J. et Trinius, C. B. Description des mousses, qui croissent aux environs de St. Pétersbourg. Livr. 1re. St. Pétersbourg 8°.

1818. Liboschitz, J. et Trinius, C. B. Flore des environs de St. Pétersbourg et de Moscou. Tome I. St. Pétersbourg 4°.

1822. Weinmann, J. A. de nonnullis plantis Petropolitanis disserit germ. in diario bot. Ratisb. Vol. I. p. 227, 300.

1823. Longmire, J. B. Catalogus plantarum Petrop. (anglice?) in: Annals of philosophy 1823. Septemb. p. 191 — 197. (Non vidi; — „nimis incompletus et erroneus“ Wickstroem 1825.)

Mss. 1823. Trinius, C. B. Die Gräser der St. Petersburg. Flora. (mss. Acad. Imp. sc. servat.)

1824. Weinmann, J. A. Elenchus plantarum horti Imper. Pawlowskiensis et agri Petropolitani. Petrop. 8°.

„1824. Ueber die Flora von Petersburg von Nikolaus Schtscheglow. St. Petersburger Zeitschrift. 1824. Juli p. 111“. — Me fugit; citatur in Dierbachii Repertorio bot. p. 186, sed dubito, ab auctore allato ejusmodi quid conscriptum fuisse; an sequens?

1825. Списокъ растѣній, находимыхъ въ окрестностяхъ С. Петербурга, сочиненный Г. Турчаниновымъ. — Указатель открытій издаваемый Николаемъ Щегловымъ. Томъ II. Часть II. 517. 679. 862. (i. e. Index plantarum circa Petropolin crescentium, auctore Turczaninow. In Nikolai Schtscheglow Sylloge cit. Etiam sub falso titulo: Turczaninow, Beiträge und Berichtigungen zur Flora von Petersburg — citatum inveni.)

1836. Weinmann, J. A. Descriptiones nonnullarum plantarum vel novarum vel minus cognitarum, quas in Ingria observavit. Linnaea Vol. X. p. 51.

1836. Idem, Species Violae L. in Ingria observatas describit in Linnaea Vol. X. p. 65.

1836. Idem, über das merkwürdige Vorkommen und Verschwinden einiger Pflanzen-Arten in der Umgebung von Pawlowsk und Gatschina. Linnaea Vol. X. p. 221.

1836. sqq. Левинъ, К. Рисунки С. Петербургской Флоры. (i. e. icones et descriptiones plantarum Petropolit. Auctore C. Lewin.) С. П. Б. 8°. Томъ I. (1—6) 1836. 1837. II. (7—9) 1843. 1844.

1837. Weinmann, J. A. Enumeratio stirpium in agro Petropolitano sponte crescentium. Petrop. 8°.

1841. Fries, E. Recensio Florae Petropolitanae auctore Weinmann et comparatio cum Fl. Suecica. Suecice in: Lindblom's botaniska Notiser. 1841 p. 136 — 142.

1842. Beilschmied, C. T. Bemerkungen über die Flora von St. Petersburg. Regensburger bot. Zeitung. p. 561.

1844. Александровичъ, Г. О семействѣ вересковыхъ растѣній съ особеннымъ изслѣдованіемъ свойственныхъ С. Пе-

тербурекой Флоры. С. П. Б. 8<sup>о</sup>. (i. e. de Ericaceis, imprimis Fl. Petrop. Auctore G Alexandrowitsch.)

Opera generalia suo loco citata.

---

Plantarum perfectiorum, circa Petropolin in statu fero obviarum, catalogi sive enumerationes suo tempore magis minusve completæ exstant septem. Antiquissima: Krascheninnikowii Flora Ingrica, vulgo Gortero editori adscripta. Codex me judicante annis 1752 — 1754 ad calcem perductus apud Academiam Imper. scientiarum vel hodie consuli potest. Pro genio temporis species phrasibus solum, nec nominibus sic dictis trivialibus s. hodiernis designavit; hæc et plerumque diagnosin Linnaeanam adposuit Gorter, codicem in ordinem digessit et anno 1761 imprimendum curavit. Ut ex ipso libro cuilibet liquidum fit, additiones et observationes Gortero propriae perpaucae sunt et ad 14 plantas restringuntur, Krascheninnikowio ignotas; loca natalia specialia, multiplicatu facillima, immutata fere in libro impresso redeunt et ad amissim probant, Gorterum intra spatium 5 — 7 annorum plantis indagandis haud magnam operam navasse; quæ tamen reprehensio non carpere valet b. virum, cujus potius summa laus, jam illo tempore editione Floræ primæ stamina posuisse et calcaria successoribus addidisse. In computatione numeri plantarum Krascheninnikowio cognitarum neque calculus in libro Gorteri, neque designatio apud Sobolewskium assumi potest, sed si fontem genuinum adgredimur, quatenus orbi literato patefactum, stationes Ingricæ saltem istæ, quæ subsidiis artificialibus nostri temporis in auxilium vocatis intra nycthemeri spatium commode attingi nequeunt, e territorio metropolis excludendæ sunt, ut: fluvii Luga, Lemodscha et Wolchow, aquaeductus Ladogæ (nisi pars Newæ fluvio contermina intelligitur, quod vero nullibi expressis verbis dictum), districtus Coporiensis, Sista fluvius et Narwa, urbes Jamburg et Nowgorod. Expungendæ porro sunt omnes plantæ falsis nominibus propositæ aut experientiæ posterioris sigillo non

corroboratae et in librum Weinmanni novissimum non receptae. Species tunc phanerogamas (sic dictas) primarias, hodiernis nostris quoad limitationem conformes, anno 1761 Krascheninnikowio et Gortero notas numero: 389 additis cryptogamis vascularibus, exclusis vero varietatibus. Me hodie symbolas ad historiam plantarum tantum perfectiorum exhibiturum esse moneo, cryptogamae enim ordinum reliquorum disquisitionem similem non permittunt, quippe ante cl. Weinmann et annum 1837 vix historia gaudent. Justius foret, merita Krascheninnikowii seorsum celebrare et additiones Gorteri posteras separare. (*Festuca elatior* a Gortero allata jam Krasch. nota; vide *Poa* p. 13 *ibid.* — *Chimophila umbellata* excludenda, ad ostium enim *Narowae* fluvii crescit, non *Newae* fl. ut ex errore typographico in editione Gorteriana et *Sobolewskiana* affirmatur et aliae, quae sunt cautelae.)

Largiorem stationum numerum in libro suo (1799, exhibuit *Sobolewsky*, observationibus propriis annorum 24 fultus. Maxime ut videtur in eo erravit, quod inventis perhibitis aliorum fidem nimiam tribuerit; sic e. g. species omnes *Gorterianae*, revisione neglecta, rursus reimpressae; plantas multas a *Boebero*, *Georgio*, *Rudolphio*, *Staehlino* aliisque indicatas ab auctore aut non visas, aut false nominatas fuisse, extra limites dubitationum positum est; descriptiones et icones allatae persaepe ex libro quodam mutuatae, interdum cum planta ne obiter quidem comparatae (inspiciatur nota nostra ad *Sium* inundatum et *Rosam* spinosissimam); quibus hallucinationibus erroribusque sane gravissimis auctoritas ejus mox adeo labefactata fuit, ut circiter 160 plantae illius falsae aut dubiis subjectae *Floram* a *Weinmannio* 1837 editam non intraverint. Augmentum ceterum considerabile *Flora Petropolitana* inde coepit.

Catalogus *Turczaninowii* phanerogamas et cryptogamas vasculares comprehendit; nullae apparenter plantae occurrunt, quas auctor ipse non viderit; errores pauci.

Enumerationem antecedenti similem cum locis natalibus jam anno ante (1824) obtulit cl *Weinmann*; recentiorem ve-

ro, inter omnes priores maxime absolutam et (quod heic non satis aestimare potis sum) cryptogamas omnium ordinum amplectentem anno 1837 in jus publicum vocavit. Ut citra commentaria (et commenta) aliorum, autopsiâ fere solâ haec Flora Petropolitana conscripta sit, magnâ inde fide digna atque disquisitionibus meis insequentibus substructa: ita et necessarie evenit, ut plantae plures a Krascheninnikowio, Sobolewskio, Turczaninowio aliisque revera observatae et Florae nostrae summo jure adscriptae ibi desiderentur; ipse saltem 30 ejusmodi stirpes oblivioni traditas rursus regioni nostrae vindicare valeo et plures adhuc restituendas esse persuasus sum. Neglectis interim his, sed consideratis probe iis, quae ante in computatione Florae Krascheninnikowianae dicta sunt, periodi Florae Petropolitanae principales quatuor supra expositae ad normam enumerationis recentissimae Weinmanni sequentibus numeris exprimi possunt:

1761. Krascheninnikow et Gorter	389	spec:	novit:	periodus:
1799. Sobolewsky.....	518	:	129	: 38 annor.
1825. Turczaninow.....	622	:	104	: 26 „
1837. Weinmann .....	681	:	61	: 12 „

Unumquemque vero rationes has exhibitas vel obiter computantem haud fugere potest, novitatum numerum quacumque periodo recentiori non imminutum, ut vulgo semper creditum fuit, sed potius in progressionem continua atque adaucta versatum esse! ita, ut numerus medius plantarum pro Flora Petropolitana quolibet anno detectarum ad singulas periodos se ferme habeat, uti 0: 3: 4: 5.

Quo modo haec ratio novissimo tempore continuetur: an multiplicatio progressiva, aut institio, vel (ut in optime investigatis Floris v. g. Berolinensi, Hallensi) potius imminutio sensibilis locum habeat, disquisitionis hujus problema erit. Mihi in quaestione explicanda versanti expositio periodorum supra tentata historiae maxime consentanea videtur; at ne quis illam theoriae propositae gratia quaesitam credat, altera possibilis heic exhibeatur.



1752. Krascheninnikow	375	spec :	novit :	durat :	proport :
1764. Gorter	404	:	29 :	12 :	2,4
1790. Georgi	477	:	73 :	27 :	2,7
1799. Sobolewsky	518	:	41 :	9 :	4,5
1825. Weinm. et Turczan.	638	:	120 :	26 :	4,6
1837. Weinmann	681	:	43 :	12 :	3,6

His tamen sequentia objicienda sunt: 1°. Opus Krascheninnikowii tunc temporis mundo docto nondum communicatum fuisse, Gorterum vero in mss. posthumo varia et quidem saepius in perversum mutasse, ita, ut vix merita Krascheninnikowii rite dijudicare quis valeat, nisi inspectis ante ejus manuscriptis; sic illi jam innotuerunt: Sium latifolium, Heracleum sibiricum, Hieracium cymosum, Ceratophyllum demersum, Chenopodium rubrum, Herniaria glabra et forsau Trifolium medium, plantae omnino codici inscriptae, sed incuria vel consilio Gorteri praetervisae vel immutatae. 2°. Non quaelibet dissertatio vel nota emissa novum rerum ordinem instituit; igitur, etiamsi v. g. Gortero tamquam editori et Georgio periodus supra memorata conceditur. attamen nullo modo pro anno 1800 admitti potest, licet in opere cit. Georgii integra fere Flora Ingrica invenitur, cujus vero stirpes novitias nimis vage indicatas considerabili parte ex erroribus mendisque inexpiabilibus originem duxisse, quilibet ex appendice nostra perspiciet. Enumeratio Turczaninowii et prior Weinmanni eodem fere tempore emissae periodum claudunt, hinc seorsum vix contemplari possunt; rationes tamen schematis primi anteponendas esse reor ob epicrisin operis proprii, qua cl. auctor indicia plura ante emissa neglexit atque sic modo indirecto ipse revocavit. 3°. Numeros tabulis inscriptos, licet circumspectissime quaesitos, singulis tamen casibus minus exactos esse, ingenue confiteor; ex natura enim disquisitionum ejusmodi historicarum, quae solum verbis impressis, nec aliis documentis confirmari possunt, facile evenit, ut vel auctoris cujusdam merita minus, quam oportet, ponderentur, dum e principiis autopsiae passim mancae praestantiora illius negliguntur; — vel altera ex parte nimium illi tribuatur, dum

asserta ejus cum damno successoris fide optima recipiuntur, cujus rei exemplum (ut clarior fiam) inter alia praeberet Potamogeton crispus. Juvant partim studium auctorum, partim experientia tempore recentiori nacta. Causae etiam obstant aliae, quominus huic parti historiae naturalis ratio mathematica (excepto forte calculo probabilitatis) adcommodari et sic desideriiis theoreticis satisfieri possit; potissima pendet ex idea diversa specierum et varietatum quoad valorem revera inaequalium et vix pro omni aevo numeris inviolabilibus figendarum; posteriorum plus minusve notabiles, genio temporis ad speciei dignitatem saepe evectae, ne rem magis adhuc intricatam reddant, vix ullae in calculum umquam receptae sunt, quod etiam a me ob causam allatam, licet contra persuasionem propriam imitatum fuisse, fatendum est. Ast quaestio heic proposita generalior est, quam ut ad solutionem scrupulositate tanta indigeat. 4<sup>o</sup>. Non incredibile prius erat, culmen tale perfectionis Florae Petropolitanae in annum 1825 incidisse, ex quo numerus plantarum novarum quolibet anno sensim sensimque decrescit, et perfacilis mihi hic error videtur; at lustra quatuor nunc elapsa vix sufficiunt ad integritatem tantam probandam; neque opus est; ex inventis enim novis, a me nunc infra allatis et confirmatis pro certo assumere fas est, theoriam aevi praeterlapsei heic prima vice indigitam, synthesi constructam simulque autopsiae atque historiae superstructam, novissimo quoque tempore corroboratam esse. Talis imo progressus non solum periodo proxime veniente probabilis, verum quoque idea imminutionis futurae tum naturae, tum ingenio humano parum digna videtur; potissima ratio est: profundius plantarum studium, quo aetas etiam postera superbiat. Et si circa hanc causam experientia novissima docuerit, vicinities imo urbis aliquas plane non, vel non satis assidue et attente perlustratas fuisse: tamen absque haesitatione affirmare oportet, nullam aliam Floram specialem in toto imperio Rutheno Petropolitanam antecellere et ob quaestiones diversissimas solvendas aptius in usum converti posse; quare themate praesente utpote gravissimo exco-

lendo nemo unquam credat, se oleum et operam perditurum fore.

Protinus in dijudicandis numeris specierum primariarum supra allatis respiciendum est, plures qua tales, licet contra opinionem auctorum nonnullorum, a me non agnitas ideoque nec in calculum receptas esse; nimirum: *Veronica maritima*, *Agrostis alba* et *vulgaris* (in *A. polymorpham contractae*), *Festuca duriuscula*, *Campanula crenata*, *Viola montana*, *Rumex sylvestris*, *Ranunculus cassubicus*, *Brassica Napus*, *Hieracium praealtum* et *radiocaulum*, *Ceratophyllum apiculatum*, *Salix Russeliana* et *laurina*, *Equisetum limosum*, *Aspidium dilatatum*; *Rumicem domesticum* contra, *Alopecurum aequale* Sobol. 1799 (*A. fulvum* Huds. 1805), *Caricem Oederi* et *Ranunculum aquatilem*  $\delta$ . *stagnalem* tamquam species proprias numeravi. *Calamagrostes intactas* reliqui.

Plures e territorio Florae nostrae plantas nec vivas, neque in collectionibus diversissimis asservatas invenire potui; sunt: *Orobanche major* L., *Rubus fruticosus* L., *Poa sudetica* Hänke, *Jnula dysenterica* L., *Salix grandifolia* Seringe, *Cephalanthera rubra* Richd., *Carex paniculata* L. et Schk., *Chenopodium ficifolium* Sm., *Potamogeton acutifolius* Link et P. *praelongus* Wulf., *Peucedanum Oreoselinum* Moench, *Arabis arenosa* Scop., *Juncus acutiflorus* Ehrh., *Cuscuta Epithymum* Sm., *Pyrola media* Sw., *Gagea pratensis* Salisb., *Fragaria collina* Ehrh., *Arctium majus* Schk. saltem *Kochii*, *Rumex cordifolius* Hartm. (saltem *Fries Mant. III. 27*), denique *Charae nonnullae*; alias non nisi in herbariis variis a *Kastalskio* editis vidi, loco speciali non adscripto: *Scleranthum perennem* L., *Nasturtium sylvestre* Br. et *Euphorbiam Peplum* L. Quamquam potiozem partem enumeratarum e catalogis expungendam esse pro certo affirmare audeo: tamen, ne iudicium de quibusdam facile praematurum mihi vitio gravi verti possit, numerum in periodis variis minuendum aliis reliqui, perpendens, alteram citra hanc necessariam fieri correctionem ob stirpes 30 - 40 antea indicatas, recentiori vero tempore oblivioni traditas, sed a me in integrum restitutas; quae emendationes

simul factae numeros quidem supra positos parum, sed proportiones modo tam insensibili mutant, ut theorema nostrum refutare atque evertere nulla ratione queant; quod imo ratum habebitur, si corrèctione tertia respectu varietatum meo sensu haud negligendarum extremus perpoliendi labor adhiberetur.

Quaedam species solum fide speciminis unici exsiccati (sed plurium saepe observatorum, aut in loco facile praesentium) prima vice a me infra commemoratae sunt, partim ut attentio excitetur, partim ob principia ab antecessoribus omnibus non injuste recepta. Sic v. g. *Orchis ustulata*, *Calamagrostis varia Trinii*, *Potentilla verna* (germanica) et facile aliae catalogis inscriptae ex unico tantum individuo observato pendent. Aliae modo unico loco, modo parcissime, vel semel tantum, vel periodice in conspectum venerunt; hujus generis e parte potiori: *Eriophorum latifolium*, *Scirpus Baeothryon* et *maritimus*, *Leersia*, *Beckmannia*, *Scolochloa*, *Lolium temulentum*, *Brachypodium pinnatum*, *Asperula odorata*, *Galium bryophilum*, *Jasione*, *Solanum nigrum*, *Erythraea*, *Anchusa officinalis*, *Viola umbrosa*, *Chenopodium hybridum* et *olidum*, *Salsola Kali*, *Selinum carvifolia*, *Pimpinella magna*, *Juncus supinus*, *Chimophila*, *Saponaria*, *Dianthus superbus*, *Silene tatarica*, *Pulsatilla*, *Pedicularis sceptrum*, *Arabis hirsuta*, *Crepis biennis*, *Petasites vulgaris*, *Bellis*, *Epipactis palustris*, *Euphorbia palustris*, *Zaunichellia*, *Carex microstachya* et *paludosa*, *Betula fruticosa*, *Typha angustifolia* — a nemine, quantum scio, recentissima periodo conspiciabantur, quod quidem ob varias causas nil aliud probare potest, quam plantas dictas communibus non esse adscribendas. Nuperrime inventum est apud nos rarissimum *Epipogium Gmelini* prope *Lisina* (Graff) et *Polygonum Bistorta* in vicinitate proxima urbis (Kubarkin).

Ambitus territorii Florae Petropolitanae supra delineatus nonnullis forsitan justo latius patere videbitur, sed vastum, quod urbs ipsa occupat spatium et cultura soli adjacentis perpetuo procedens me excusent; facile probare possem, omnes fere auctores antecedentes terminos sic et interdum remo-

tiores pepigisse; multa secus loca, quae nostris diebus frequenter et facili negotio lustrantur, exciderent.

Syndrome stirpium Florae nostrae saltem in tres cohortes primitivas ex indole territorii pendentes dissolvenda est.

I. Regio demissa, urbi undequaquam proxima, solo paludoso dives, fundum aquarum sinum Fennicum cum lacu Ladoga jungentium, proximo aevo ante-historico emersum sistit et schista geognostica nullibi alia offert, quam humum, argillam recentissimam, lapides detersos et saxa abrupta potissimum granitica olim e septentrione advecta, quibus fortasse proventus *Polypodii vulgaris*, (*Aspleniorum* nunc interitorum?) *Umbilicariae polyphyllae*, *Parmeliarum* et *Lecidearum* complurium et c. adscribendus. *Summarium vegetabilium* ad illud Fenniae mediae proxime accedit. Plures species boreales illam intrant v. g. *Rubus arcticus*, *Cornus suecica*, *Lobelia Dortmanna*, *Isoëtes*, *Galium trifidum*, *Salices*, *Viola umbrosa*, *Moehringia lateriflora*, *Eriophorum alpinum*, *Carex vaginata*, *microstachya*, *loliacea*, *tenella* et al. Regiones culturae, ruderum, pratorum, sylvarum et c. quae ultro distingui possunt, valoris subordinati videntur et in regione sequente recurrunt.

II. Regio elevata, ad austrum urbis potissimum sita, litus priscum regionis praecedentis cum probabilitate quadam refert et tractu collino fere contiguo a monte Pulcowa incipit, meridiem versus ad oppida *Tsarskoe Selo* et *Pawłowsk* procedit, abhinc vero rivulo *Slavianka* et superiori cursu *Ischorae* limitatur;—altera ex parte occidentem versus sese extendens, distantia 10 — 20 stad. ross. cum litore australi sinus *Kronstadtensis* lineam fere parallelam efformat ita, ut pagi *Koirowa*, *Krasnoe Selo*, *Ropscha*, *Gostilitzy* et plagae his meridionales regionem dictam continent. Montes *Duderhofiani* intra spatium istud siti elevatione maxima excellunt. *Strata geognostica calcaria et silicea systematis sic dicti Silurici et Devonici*. *Vegetatio primitus et eminenter terrae continentis*, si priorem *Scandinavicam* adpellare placet; plures plantae haec occurrunt, quae in *Suecia* vel non (*Veronica* la-

tifolia, *Betula fruticosa*, *Lathyrus pisiformis* et c.) vel tantum australiori crescunt v. g. *Asarum*, *Picris*, *Polygala comosa*. Nullibi hodie, quantum innotuit, circa *Petropolim*, nisi in hac regione inveniuntur: *Bromus giganteus*, *Libanotis intermedia*, *Rosa acicularis*, *Androsace septemtrionalis*, *Euphorbia Esula*, *Asarum*, *Veronica* et *Campanula latifolia*, *Gentiana cruciata* et *livonica*, *Polygala comosa*, *Chaerophyllum aromaticum*, *Orobanche Libanotidis*, *Lathyrus pisiformis*, *Picris*, *Orchis militaris* et *ustulata*, *Ophrys Myodes*, *Betula fruticosa*; neque certo in ulla parte *Fenniae* adhuc visae, exclusa *Rosa aciculari* et *Picride* (quibus *Aconitum* addi potest) secus *Ladogam* quidem, sed extra isthmum *Kareliae* serius forsitan ortum dispersis. In terra continente vero priores quinque altius septemtrionem versus progrediuntur et circa urbem *Archangelsk* non desunt, *Asarum* prope *Schenkursk* (62° l.). Aliae species huic regioni vel privatae sunt et locis faventibus in *Fennia* australi recurrunt, ut: *Brachypodium pinnatum*, *Asperula odorata*, *Viola mirabilis*, *Inula salicina*, *Rubus caesius*, *Carex ornithopoda*, *Mercurialis perennis* et c. — vel saltem in his elevationibus exuberant, sed forsitan casu atque tempore hinc illinc in planitiem disseminabantur v. g. *Primula farinosa*, *Thalictrum simplex* et *aquilegifolium*, *Ulmus campestris* et *effusa*, *Libanotis montana*, *Potentilla salisburgensis*, *Aquilegia*, *Hypericum perforatum*, *Gentiana Amarella*, *Tragopogon*, *Orchideae* plures et facile multae earum, quae *Petropoli* terminum borealem attingunt.

III. Regio maritima ob diverticulum sinus *Fennici* extremum, procellis ab occidente obtingentibus aquam parum tantum salsam, alias vero dulcem *Newae* fluvii ad limites extimos territorii nostri agens, plantis maritimis dives esse nequit; satis mirum igitur, hucusque procedi: *Lathyrum*, *Kakilen*, *Glaucem*, *Scirpum* et *Plantaginem* maritimam, *Arenariam* marinam, *Ammadeniam* peploidem, *Salsolam Kali*, *Atriplicem* litoralem, *Lotum*, *Juncum balticum*, *Allium Schoenoprasum*, *Scirpum Tabernaemontani*, quae omnes heic et in *Fennia* circa litus marinum solum crescunt, licet nonnullae absolute maritimae

non sunt. Idem de Senecione viscoso et paludoso valet, quibus tamen Fennia, ratione nondum satis liquida, caret. Equiseti litorali, utpote novissimo, interim supersedeo. Haec regio secundum investigationes recentissimas, ad litora ingentis lacus Ladogae ne testem quidem dictarum plantarum ostendit, nisi forsán Elymum arenarium excipimus circa urbem Schlüsselburg, in insula Konówetz et in isthmo Kareliae vigentem et Senecionem paludosum semel a Krascheninnikowio inventum.

His qualitercumque expositis, characterem Florae nostrae post conamina pauca antecessorum iteratim contemplare concessum sit. Hic vero non in eo consistit, ut plantae numero praevalentes respiciantur, quod potius ad faciem vegetationis spectat, sed inquirendis modo rarioribus tale opus absolvitur; species igitur consignandae sunt, quae limites distributionis australes et boreales, occidentales et orientales heic inveniant; tum enim vulgatissimae (stricte tales perpaucae dantur) saepe numero in rariore vertuntur et vice versa. Hoc thema autem pro Flora Petropolitana, male cognita vegetatione provinciarum adjacentium, non exiguis premitur difficultatibus; eo magis igitur periculum meum indulgentiam doctissimorum viro- rum et successorum meorum, studia historica non vilia habentium obtenturum fore confido.

Limitationis plantarum australium a borealium mole uniformi heic nobis occurrit exemplum eximium et rarum, alibi forsán in Rössia septentrionali et media frustra quaerendum. Terminationes plurium jam supra commemoravimus; omissis his 19 speciebus regionis elevatae urbis, catalogum primo exhibere liceat illarum plantarum, quae ad hanc usque diem in Fennia tota desiderantur (auctores recentiores mihi noti, inedita omnia consultare impossibile) et inde suspicionem movent, quin septentrionem versus et caurum (intercedente saltem magno hiatu; bene enim scio, plures v. g. in Sueciam ac Rössiam orientalem et inde in plagas Fenniae adjacentes altius excurrere) propagarentur. Sic: *Setaria viridis*, *Hottonia palustris*, *Selinum carvifolia*, *Juncus squarrosus*, *Cardamine*

*Impatiens* a *Kalmio*, *Prytzo* et *Forselles adlatae*, at recentiori tempore non visae; desiderantur porro e *Fennia*: *Veronica Anagallis*, *Scirpus radicans*, *Bromus inermis*, *Leersia oryzoides*, *Beckmannia erucaeformis*, *Galium bryophilum*, *Potamogeton obtusifolius*, *Lysimachia Nummularia*, *Anagallis arvensis*, *Erythraea Centaurium*, *Viola uliginosa*, *Chenopodium olidum*, *Conioselinum Fischeri*, *Myrrhis odorata*, *Cnidium venosum*, *Rumex maritimus* et *Hydrolapathum*, *Epilobium roseum*, *Elatine spathulata* et *triandra*, *Saxifraga Hirculus*, *Dianthus superbus*, *Saponaria officinalis*, *Cerastium arvense*, *Moebria lateriflora*, *Potentilla intermedia*, *elongata* et *supina*, *Geum macrophyllum*, *strictum* et *intermedium*, *Rubus suberectus* et *subinermis*, *Aquilegia vulgaris*, *Thalictrum angustifolium*, *Papaver dubium*, *Stachys alpina*, *Mentha sylvestris*, *Galeobdolon luteum*, *Ajuga reptans*, *Erucastrum Pollichii*, *Neslia paniculata*, *Arabis Gerardi* et *pendula*, *Hieracium aurantiacum*, *Senecio paludosus*, *viscosus* et *Jacobaea*, *Inula britannica*, *Bellis perennis*, *Carduus acanthoides*, *Epipactis palustris*, *Euphorbia palustris* et *Peplus*, *Carex pseudocyperus*, *orthostachys* et *rhynchophysa*, *Salix versifolia*, *Equisetum litorale*, *Lycopodium inundatum*, *Botrychium lanceolatum*, *Aspidium cristatum*.

Indice altero continentur plantae, quae quidem in *Fennia* australi eadem fere latitudine geographica, at magis occidentem versus sub climate mitiori nascuntur (ac si *Quercus comitarent*), in plagis vero a litore remotis aut borealioribus nusquam repertae fuerunt, hinc quodam respectu pro australioribus *Florae Petropolitanae* civibus haberi possunt. Sunt: *Lemna polyrrhiza*, *Fraxinus excelsior*, *Veronica spicata* et *opaca*, *Eriophorum latifolium* (cf. *Wirzén*), *Blymus compressus*, *Scirpus Tabernaemontani*, *Alopecurus rutenicus*, *Echinochloa crus galli*, *Cynosurus cristatus*, *Scolochloa festucacea*, *Triodia decumbens*, *Glyceria norvegica* et *plicata*, *Bromus mollis*, *Brachypodium pinnatum*, *Asperula odorata*, *Potamogeton crispus* et *zosteraefolius*, *Symphytum officinale*, *Echium vulgare* (*Karel. merid.*), *Primula farinosa*, *Calystegia*



sepium, *Jasione montana* (Aland.), *Ribes Grossularia*, *Chenopodium hybridum* et *polyspermum*, *Blitum virgatum*, *Atriplex litoralis*, *Salsola Kali*, *Herniaria glabra* et *Gentiana Pneumonanthe* (Karel. aust.), *Oenothera biennis*, *Fragaria elatior* (cf. Ledeb.), *Thalictrum aquilegifolium* (vide ap. Wirzén), *Rubus caesius*, *Leonurus Cardiaca*, *Betonica stricta*, *Cakile maritima*, *Sinapis nigra*, *Arabis hirsuta*, *Geranium palustre* (in Fennia versus Ladogam tantum) et *rotundifolium*, *Corydalis Halleri*, *Polygala vulgaris*, *Lotus corniculatus*, *Trifolium montanum*, *Scorzonera humilis*, *Cichorium Intybus*, *Petasites vulgaris*, *Inula salicina*, *Neottia nidus avis*, *Epipogium Gmelini*, *Carex intermedia*, *pilulifera*, *ornithopoda* et fors. *C. hirta*, *Myriophyllum verticillatum* et *alterniflorum*, *Salix rosmarinifolia*, *Mercurialis perennis*, *Ophioglossum vulgatum*. *Pyrus Malus*, *Poa quadripedalis* et *Polygonum minus* non solum in Fennia australi, sed quoque in reg. sept. lacus Ladogae adsunt.

Plantae orientales plures certe circa Petropolin adsunt, sed praeter Moehringiam laterifloram et Rosam acicularem vix quaedam aliae reperiuntur termino occidentali extremo. Sic *Agrimonia pilosa* non quidem in Fennia (ubi v. g. prope Ruskiala, Räsälä et Kutemois crescit), quam potius in Livonia ultra procedit; *Libanotis intermedia* ad Borussiam orientalem; *Bunias orientalis* passim in Germaniam; *Galium suaveolens* a *G. bryophilo* paulo tantum diversum cum *Carice rhynchophysa* et *pediformi* in Norvegia inveniuntur; *Mulgedium sibiricum* per Fenniam borealem ad Angermanniam Sueciae, eandem fere viam sequitur *Botrychium virginianum*; *Calypso borealis* jam prius e Torneå nota; *Silene tatarica* ad Neomarchiam usque progreditur; *Ranunculus cassubicus* ad Silesiam, *Beckmannia erucaeformis* ad Silesiam et Hungariam; *Conioselinum Fischeri* ad Sudetos et Styriam; *Dracocephalum thymiflorum* et *Potentilla intermedia* (Linnaei et Friesii, non Fl. German.) etiam Upsaliae obveniunt; *Galium bryophilum genuinum* et *Lathyrus pisiformis* cives Mosquae sunt, sed sine dubio etiam locis occidentalioribus invenientur uti

*Arabis pendula*, *Draba lutea* et *Geum strictum* (hujus *Gei spec. anglicum* et *german.* e *Brunsvigia* in herb. jam vidi). *Gei macrophylli* proventus spontaneus dubiis adhuc premitur.

Plantae boreales perpaucae heic limites agnoscunt australes. Etenim *Andromedae*, *Linnaea*, *Galium trifidum*, *Stellaria Frieseana*, *Moehringia*, *Viola umbrosa*, *Lobelia*, *Isoëtes*, *Carices* plures v. g. *vaginata*, *irrigua*, *globularis*, *aquatica*, *capillaris*, *microstachya*, *leucoglochis*, *loliacea* et *tenella* locis pluribus australioribus et quidem demissis prodeunt. *Glyceria norvegica* et *plicata*, *Carex pediformis* et *rhyngophysa* species sunt paucis adhuc cognitae, hinc facile praetervisae. Restant forsitan solum: *Calypso*, *Salix versifolia*, *Rosa acicularis* et *Rubus arcticus*; alpino-arcticae enim v. c. *Cornus suecica*, *Viola epipsila*, *Rubus Chamaemorus*, *Betula nana* in planitiem regionum australiorum descendunt. Plantae boreales cum his non confundendae sunt; plures enim earum circulum arcticum non intrant, aut si hunc revera excedunt, saepe in regione sylvatica tantum degunt, non vero in alpina vel saltem multo parcius, quam in terris extra circulum polarem sitis. Putarem etiam, *Salices myrtilloides* et *Lapponum* (*limosam*) boreales tantum, nec vere alpinas esse.

Plantarum occidentalium numerus satis notabilis videtur; de his vero, vegetatione provinciarum a *Petropoli* magis magisque in orientem tendentium, saltem usque ad catenam montium *Uralensium*, tenebris adhuc densis obruta, tacere consultissimum; in genere multas australes simul hujus loci esse, credibile; vegetabilia enim longe plurima non secundum gradus latitudinis geographicae, sed potius secus lineas sic dictas isothermas et isochymenas decurrunt, quae priores angulo acuto secant.

Stirpes provinciarum conterminarum ad rite dijudicandum characterem *Florae Petropolitanae* non parum lucis afferre posse, nemo infitias ibit; haud superfluum ideoque duxi, fines sive initia distributionis plantarum, quibus *Ingria* caret, inquirere, in quantum opera auctorum et autopsia concedunt. Peculiaritates *Livoniae* respicientibus ad *Floram ur-*

bis Dorpat, inter omnes provinciae partes optime cognitam confugiendum est, unde: *Laserpitium pruthenicum*, *Sesleria coerulea*, *Carex Drymeja*, *Epilobium parviflorum*, *Helianthemum vulgare*, *Sisymbrium supinum* (inter D et Wolmar), *Pinguicula alpina* (*brachyloba* Ledeb.), *Arabis arenosa* (Uddern), *Schoenus ferrugineus* (etiam ex Esthonia), *Fragaria collina* et *Ligularia sibirica* in collectionibus a me examinatis exstant. Dolendum sane, Floram nuper ab auctoribus cl. Fleischer et Lindemann editam nimia stationum egestate laborare, ut vix alias ex hoc libro praecedentibus addere possim, quam: *Conringiam orientalem*, *Sisymbrium Columnae* (*aufugum?*), *Ostericum palustre*, *Dipsacum sylvestrem*, *Asperulam tinctoriam*, *Alisma natans*, *Scirpum parvulum* et (ex Ledebourio) *Violam stagninam*. Quare ad enumerationem plantarum horti Dorpatensis a cl. Weinmann anno 1810 conscriptam, etiam vegetabilia in viciniis indigena continentem recurrendum est, quae citatae leguntur: *Acer campestre*, *Avena pratensis*, *Ballota nigra*, *Brachypodium sylvaticum*, *Bromus asper*, *commutatus*, *tectorum* et *sterilis*, *Bryonia dioica*, *Carex Davalliana*, *praecox* Schk. et *riparia*, *Chaerophyllum temulum*, *Chenopodium urbicum*, *Circaea intermedia*, *Datura*, *Evonymus verrucosus*, *Gnaphalium arenarium*, *Hydrocotyle vulgaris*, *Juncus glaucus*, *Laserpitium aquilegifolium* Murr., *Ligustrum vulgare*, *Melampyrum arvense*, *Onopordon Acanthium*, *Orchis Morio*, *Papaver Rhoëas*, *Phyteuma spicatum*, *Prenanthes muralis*, *Sagina apetala*, *Sambucus Ebulus*, *Saxifraga tridactylites*, *Serratula tinctoria*, *Stachys arvensis*, *Tulipa sylvestris* aliaeque in gubernio Petropolitano indicatae, sed recentiori tempore non amplius inventae. Facile plures enumeratarum Ingriae saltem vindicari poterunt. In Esthonia media (circa Piep) crescunt: *Dracocephalum Ruyschianum*, *Anemone sylvestris*, *Toffieldia calyculata* (omnes c. Dorpat ind.), *Lepidium Draba*, *Bryonia alba* et nova *Saussurea esthonica* Baerii, quae a simili *S. alpina*  $\gamma$ . *viridi* Dec anthodiis conspicue angustioribus et squamis numerosioribus, angustioribus, tenue marginatis, ceterum pallidis, nec non observante cel. C. A. Meyer:

appendicibus antherarum valde barbatis et forte inflorescentia sejungi debet; *Potentilla fruticosa* prope Fall sponte provenit; has in collectione cel. Baer vidi. E Flora Revalensi adsunt: *Ononis hircina*, *Medicago falcata*, *Armeria elongata suecica*, *Pulsatilla pratensis*, *Draba incana*; in mari: *Hippuris maritima* et *Zannichellia pedicellata* Wbbg (umbella pedunculata); *Saxifragam controversam* s. *adscendentem* L. exinde commemorant F. et Lindemann.

Isthmus Kareliae ad urbes Kexholm et Wiburg usque eandem fere faciem atque characterem vegetabilium ac regio demissa Petropolis praebet. Et terrae indoles eadem est; Fennia tota vero cum Lapponia rossica solum rupibus s. d. primitivis, potissimum graniticis exstructa. Ad peculiaritates isthmi referri possunt: *Gypsophila fastigiata* ad lacum Suwando (Baer), *Pulsatilla pratensis*, *vernalis* et *tertia* ut videtur e prioribus hybrida circa Walkjärvi. Insula Björkö in latere occidentali sita, referente cl. Wirzén, recondit *Valerianam dioicam* (Alandicam) et *Schoenum ferrugineum*; sine dubio aqua ibi jam constanter salsa *Triglochin maritimum* et *Juncum Gerardi* alit, quas ipse ad introitum portus Wiburgensis pr. Trångsund et cl. Baer in insula Laiwasaari reperit. In Karelia australi generatim indicantur ut etiam in Nylandia et Alandia: *Valerianella olitoria* et *Allium Scorodoprasum*. *Armeria vulgaris* prope Wiburg et Fredricshamn provenire dicitur; inter has urbes *Spergulam pentandram* et *Rosam dumetorum* Thuill., in Fennia australi occidentaliori frequentia increscentes et *Silenem rupestrem* conspexi, *Carduus nutans* in munimento Fridericiae crescit (F. Nylander). Insulas sinus Fennici: Laiwasaari, Haapasaari et Hochland iustravit cl. Baer. Adsunt in ins. Laiwasaari: *Erythraea litoralis* (a me primum visa in taeniis portus Friderici et Lowisae, occidentem versus frequentior) et *E. pulchella* (paroec. Pojo indicata; ipse in ins. Kelö cum sequente:), *Festuca arundinacea* Schreberi, *Zannichellia polycarpa* Noltei et Friesii, et levis quaedam modificatio *Artemisiae inodora* M. B. In insula Haapasaari sive Aspö Suecorum: *Isatis tinctoria* (Oester-

skär! Åbo), *Avena elatior* (in taeniis Helsingforsiae et Aboae ipse), *Anthemis Cotula* (etiam in Esthonia) et *Crepis tectorum* var. *nigricans* \* (eadem atque planta Samojed. n. 181 e fluvio Indega). Insula Hochland e conditione soli et plantarum ad Fenniam australem potius, quam ad Esthoniā pertinet; catalogus vegetabilium hujus insulae exstat impressus auctore cl. Schrenk, ex quo potissimum videmus, cum ins. Aspö communes adesse: *Senecionem sylvaticum* (circa Aboam et in archipelago adjacente frequentem) et *Viscariam alpinam*, quae supra Borgoam et inter urbes Fredricshamn et Willmanstrand (ubi ex cl. F. Nylander vulgaris in societate *Pulsatillae vernalis*) Fenniam mediam intrat; *Viscaria* et *Woodisia* nondum ex Esthonia notae, *Betulam fruticosam* et *Rhynchosporam fuscā* contra in Fennia nondum visas sibi quodammodo peculiāres vindicat; adparent praeterea heic: *Aster Tripolium* (Helsingf. et Aboae vidi), *Prenanthes muralis* (Helsingforsiae ind. ut seq.), *Sedum annuum* (ipse in ins. Korpo) et ex Ledeb. *Cotoneaster vulgaris* (c. Aboam vidi). In Nylandia et partim in Fennia australi (vulgares?) crescunt sec. auctores: *Melampyrum arvense*, *Torilis Anthriscus*, *Nasturtium officinale*, *Evonymus europaeus*, *Circaea intermedia*, *Platanthera chlorantha*, *Mentha aquatica* (ultima 5 etiam in Alandia ind. ut seq. duae), *Carex Hornschuchiana*, glauca Scop., remota, praecox Jacq., *Oxytropis sordida* (pr. Nyslott!), *Lepidium campestre* (c. Aboam ind.). Ex limite Nylandiae et Kareliae ad fluv. Kymmene nuntiantur: *Eupatorium cannabinum* et *Carex tricostata*. Circa Borgoam *Geranium Robertianum* a me lectum, ab aliis: *Lithospermum officinale* et *Ranunculus bulbosus* (utraque in paroec. Pojo ind.), *Circaea lutetiana* (archip. Aboens. et Aland.) et *Anthyllis Vulnerraria* forsā facie *A. maritimae* Hagenii. In paroecia Sibbo ex cl. F. Nylander accedunt: *Ononis hircina* et in litoralibus *Blysmus rufus* (quam in ins. Kelö reperi). In ins. Stora Mjölö pr. Helsingfors a. 1843 legi *Caricem* norvegicā et glareosā. Circa Helsingforsiam indicantur: *Carex montana*, *Saxifraga granulata* (paroec. Pojo, Åbo), *Salicornia*

herbacea et *Hippuris maritima* (archip. Aboens.), *Pyrola media* (par. Pojo), *Hieracium rigidum* Hartm. (Aland.), in amne Helsingae Potamogeton nitens et in paroec. Kyrkslätt atque Pojo: *Najas marina*. Ex catalogo plantarum paroeciae Pojo a cl. Ad. Nylander a. 1844 edito commemorari possunt: *Hieracium boreale*, *Cuscuta Epilinum*, *Cynoglossum officinale*, *Ballota ruderalis* Sw., *Cardamine parviflora* et *hirsuta*, *Sanicula europaea*, *Heracleum Sphondylium* (ultima 3 etiam ex *Alandia ind.*), *Avena pratensis* et *Orobus tuberosus* (circa Aboam utraque ipse), *Camelina dentata* Pers., *Cerastium semidecandrum*, *Scleranthus perennis* et *Ruppia Rosam villosam* L. Suec. sive *R. mollem* E. Bot. prope Ekenäs ipse inveni. Circa Aboam *Elatines Alsinastrum* et *Salicis rosmarinifoliae* locus classicus Linnaei; in ruderibus *Datura Stramonium* jam ex antiquissimo tempore perstitit; in nemoribus *Calamagrostis parviflora*\* (*C. pyramidalis* Trin. Diss. I 223); citatae praeterea exinde: *Crataegus Oxyacantha*, *Saxifraga tridactylites* pr. Pargas, *Acorus Calamus*, *Scutellaria hastifolia*, *Helianthemum vulgare*, *Gentiana campestris*. Insulae Archipelagi Aboënsis mediantibus fretis Delet et Schiffet ab insulis Alandiae segregatae duplicem vegetationis indolem praebent; majores e septemtrione insularum Nagu et Korpo faciem terrae firmae adjacentis exhibent et sylvis acerosis sterilibus tectae sunt; australiores minores fertiliores mari baltico obversae vel sylvulas frondosas gerunt, vel nudae sunt et humo turfosa, muscis, *Vacciniis* et *Chamaemoro* divites. *Vincetoxicum vulgare* et *Rosa mollissima* Willd. et *Friesii* crescunt in ins. Nagu Lill Land, priorem etiam in ins. Gylt Galten et Oesterskär vidi. *Aira bottnica* densis caespitibus ad litus maris ins. Korpo et fere omnium australiorum; in societate ejus *Airam*, discolorum *Thuill!* et *Reichenb.* in parva ins. Gylt Galten inveni, neutra in *A.* caespitosam ibi transit. In scopulis ad insulam Aspö: *Cochlearia danica* (in par. Sibbo jam ind.) et in ins. Kråkskär eadem? siliculis orbicularibus, numquam ellipticis. In insula Kelö: *Geranium sanguineum* (ut in aliis vicinis), *Sedum album*, *Laserpitium latifo-*

lium et *Rhamnus catharticus* (utraque Helsingf. ind.), *Prunus spinosa*, *Drabae incanae* var. *hebecarpa* Lindbl. et *Thalictrum simplex*: laciniis foliorum linearibus (*Petropolitanum* forsā non est genuinum Linnaei) In ins. Kråkskär *Melampyrum cristatum* (af Tengström). In sinibus maris tranquillis ins. Oesterskär: *Potamogeton marinus* (in par. Pojo jam ind.) socio bene diverso *P. zosteraceo* Friesii. *Alandia* a me non visa: *Taxum*, *Hippophaen*, *Sorbum hybridam* et *S. Ariam* et plures herbas alibi in Fennia non obvias alit v. g. *Dentariam bulbiferam*, *Trifolium fragiferum*, *Serratulam tinctoriam*, *Silenem viscosam*, *Alliariam officinalem*, *Caricem pulicarem* et c. Ex hoc (vix completo) conspectu (110 spec.) plantarum Fenniae australis Petropoli deficientium facile desumi potest, partem considerabilem regioni maritimae magis excultae adscribendam esse; observatu etiam dignum videtur, arbores et frutices 12 — 13 potissimum e familia Rosacearum, Pomacearum et Amygdalacearum forsā ob clima mitius et marinum accessisse. Petropolis quidem 80 circiter plantas in Fennia nullibi adhuc inventas hodie numerat, sed fruticibus ac arboribus allatis nullas opponere potest, nisi *Betulam fruticosam*, *Rubos suberectum* et *subinermem*, *Salicemque* fors unam alteramve. Fennia interior, si pars Lapponiae adjacens eximitur, plantis peculiaribus admodum paupera.

Vegetatio ad lacum Ladoga primo aspectu satis uniformis, at minus etiam perscrutata. De *Salice acutifolia* heic spontanea vide infra. *Festuca glauca* in arena litorali nuda insulae Konowetz copiose crescit et a planta Suecica (in herb. norm. V) non differt, nisi forte nodis supremis altioribus longe exsertis. In insula Walamo *Hierochloën* australem detexit cl. Nylander et *Saxifragam caespitosam* cl. Relander; idem circa Serdopolim (Sordavala Fennorum) legit *Dracocephalum Ruyschianum* et *Cotoneasterem vulgarem*.

Restat adhuc explorare, numne vis praepollens temporis, alias in vegetationem secundariam procreandam vel primigeniam historicam delendam concessa, etiam heic mutationes aliquas conspicuas produxerit. Licet non is sim, qui fa-

eile crederem, plantam unam alteramve feram successu temporis recentissimi hic exortam fuisse, tamen\* unicuique evolutionem historicam saeculi praeterlapsi consideranti mirum videbitur copia haud exigua stirpium vulgatissimarum, distinctu facilium et insignium, a primis herbariis nostris praetervisarum. Negligantur interim: *Anemagrostis*, *Hierochloë*, *Molinia*, *Adoxa*, *Clinopodium*, *Lamium album*, *Melampyrum sylvaticum*, *Raphanistrum*, *Camelina sativa*, *Geranium sylvaticum*. *Corydalis*, *Polygala amara (uliginosa)*, *Sonchus arvensis*, *Apargia auctumnalis*, *Anthemis arvensis*, *Matricaria inodora*, *Carex globularis et limosa*, quae *Krascheninnikowio*, quem ceteroquin jam rariores non fugiebant (v. g. *Silene tatarica*, *Viola hirta*, *Campanula latifolia*), adhuc ignotae fuerunt et anno 1790 primum in catalogo *Georgii* emergerunt. Apud *Sobolewskium* prima vice leguntur (a. 1799): *Chenopodium glaucum*, *Libanotis montana*, *Butomus*, *Potentilla norvegica*, *Geum urbanum*, *Leonurus*, *Berteroa*, *Sinapis arvensis*, *Polygala vulgaris nisi comosa*. Auctoribus porro praecedentibus ignotae manserunt non solum: *Scirpus radicans* et *Calamagrostis stricta* (verisimiliter propter novitatem), *Cornus suecica*, *Draba lutea* et *Medicago lupulina* (propter stationes paucas), *Conioselinum* et *Cnidium venosum* (confusa), *Nasturtium palustre* (vulgatissimum, sed ut opinor semper pro *N. sylvestri* sumptum): verum etiam *Meliloti* ambo, *Senecio paludosus*, *Corallorrhiza*, *Carex leucoglochis*, *curta*, *teretiuscula*, *digitata* et *palescens*, non prius quam anno 1824 a *Weinmannio* allatae. An haec omnia indiscriminatim casui vel negligentiae supinae aut ignorantiae antecessorum imputanda? Notatu digna quoque observatio *Trinii* in mss. de graminibus *Petropolitani* (1823): „Ich erinnere mich bestimmt, dass, als ich vor 8—10 Jahren im Walde von *Pawlowsk* botanisirte, *Milium effusum* (in mss. *Sobol.* a. 1779 primo legitur) äusserst selten und *Poa sudetica* (i. e. *quadripedalis*) so gut als gar nicht vorkam; Gräser, die jetzt dort zu den gemeinsten gehören“. Rumor etiam incedit, *Buniam orientalem*, nunc non raram, ante annum circiter 1820 a nemine heic visam



fuisse (Suecica ante 50 annos e Rossia adventa habetur), sed in mss. Krascheninnikowii plantam inveni a Gortero neglectam, ex synn. horti Clifford., Royeni, Bauhini et Morisoni pro *Bunia Erucagine* L. interpretandam, ad canalem Ladogae jam anno 1750 crescentem, loco cujus missa etiam adnotatione ad iconem Morisoni „male quoad folia“ certo certius *B. orientalem* ante oculos habuisse, perspicuum videtur. Excipiendum quoque *Aspidium spinulosum* vel dilatatum, recentiori periodo emersum, quod jam apud Ammanium anno 1747 legitur.

Jamjam certiora de plantis exoticis, cultura extensa et commercio inquilinis factis et quasi sponte hinc inde pullulantibus dici possunt. Non ultra saeculum et quot excurrit, *Avena sativa* et *Linum usitatissimum*, nunc plurimis jam obviae locis, Petropoli creverant; mox *Pisum sativum* et *Faba* sequentur; *Secale* et *Triticum* hinc illinc aberrant, ut *Solanum tuberosum*, *Cannabis* et *Panicum miliaceum*; in fimetosis et agris oleraceis circa hortos rusticorum *Papaver somniferum* jam ex tempore Sobolewskii invenitur, similibus locis *Spinacia spinosa*. Plantae in hortis ornamenti aut utilitatis gratia cultae, sed jam pluribus locis aufugae sunt v. g. *Phalaris canariensis* (saltem ex anno 1823, Mosquae jam a. 1800), *Hesperis matronalis* et *Lycopersicum esculentum*; at *Sherardia arvensis* mox post Krascheninnikowium evanuisse videtur; *Galinsoga parviflora* Mitaviae et Dorpati inquilina facta, in insula apothecaria, observante cl. Meyer, copiosissime anno 1831 emersit, sed postea haud visa est; *Spiraea salicifolia* et *Prunus Cerasus* locis nonnullis subspontaneae evadunt; in sylvis montis Duderhof plantatae quondam *Larix* et *Berberis*, *Lonicera tatarica* ibi jam efferata. Exempla plurima alia similibus modo locis obvia reticeo.

Plantae dictae certe originis extraneae sunt; vulgo vero multae aliae, praesertim inopinatae et patria orbae pro aufugis vel cultis declarantur, quae aut non ita sunt, aut non indubitanter; sic *Avena strigosa*, *Blitum virgatum*, *Amaranthus* *Blitum*, *Oenothera biennis*, *Saponaria officinalis*, *Fragaria*

elator, *Potentilla intermedia*, *Erigeron canadensis* et al. non diversâ a nostris localitate in Europa occidentali inveniuntur. *Inula Helenium* jam ex anno 1750 heic et in Suecia, ubi teste cl. Wahlenberg similibus locis crescit, civitatem impetravit; plantae revera indigenae interdum cultura latius propagantur v. g. *Salices*; de nonnullis earum (*acutifolia*, *alba*, *viminali*, *fragili*, *purpurea*, *undulata*) dubia omnia nondum sublata; *Pyrus Malus*, cujus arbor adhuc in septemtrione lacus Ladogae prope Serdopolim et in circulo Kareliensi e. g. inter Dranischnikowa et Lembalowa obvenit, spinosa quidem non est, neque tomentosa, sed jam ex tempore Georgii et Sobolewskii pro spontanea habebatur; *Bellis perennis* in graminosis hortorum Imper. Pawlowsk et Tsarskoe Selo disseminata nunc sponte sua propagatur, antehac vero loco alio inculto prope Pawlowsk observante cl. Weinmann indigena fuit. *Geum macrophyllum Kamtschaticum* pluribus nunc stationibus e septemtrione Newae fluvii crescit et forsitan revera ex horto quodam aufugit, forsitan non, quod tempore docebitur; cum monographia enim hujus generis edita Petropoli statim emersit, sed jam prius aderat, uti *Geum strictum* certius spontaneum, semper vero cum Geo urbano confusum. Lites de hoc themate optime proventu rariori vel frequentiori, praecipue autem distributione geographica ad finem perducuntur, licet exceptiones concedam. In rudibus urbis Kronstadt, forsitan e saburra navium exortis, inter alias plantas ruderales in omnes fere Floras pro spontaneis receptas, anno 1844 partim copiose crescebant: *Atriplex litoralis*, *Erucastrum Pollichii*, *Potentilla supina* et *Carduus acanthoides*; eas tamquam adportatas omnino negligere nolui; ultimae duae testante historia saltem ex anno 1825 ibi perseverarunt; *Erucastrum*, si in Osilia spontaneum et *Atriplex* prope Helsingforsiam (in litore insulae Stora Mjölö, ubi nullus pro saburra navium portus), nec non in insula Sälgholm (Hb. Baer): tum facile etiam heic; *Potentillam supinam* Petropolitanam et aliunde vidi. Neque opus est, ut in exemplis his saltus naturae supponantur, qui si ullibi invenirentur, ex novitiis nos-

tris certe maximi esse deberent v. c. *Sedum Fabaria*, *Elatine spathulata* et *Botrychium virginianum* ex Lithuania; *Arabis pendula* et *Moehringia lateriflora* e Kasan; *Stachys alpina*, *Elatine triandra*, *Myriophyllum alterniflorum* et *Rubus suberectus* e Germania vel Suecia; *Carex orthostachys*, *Rosa acicularis* et *Calamagrostis Langsdorfiana* e Sibiria, ne referam *Botrychium simplex americanum*.

Potentiis artificialibus, speciatim cultura soli rapide progrediente (audiri jam possunt quaerelae apud Sobolewskium) multas plantas jam rarefactas et nonnullas plane extinctas esse, palam est; quoniam vero cum certitudine in ditioe nostra periissent, futuro cautissime relinquendum esse aevocenserem (quaedam e catalogis deletae inopinatum iterum rediere; *Trapa* et *Xanthium* testante Friesio in Suecia emortuae et in finitimis terris ad interitum suum ruunt, idque de *Quercubus* nostris fere crederem), partim propter juventutem Florarum nostrarum, partim propter defectum documentorum, quibus praesentiam pristinam specierum emortuarum et assertionum veritatem auctorum veterum nequaquam infallibilium probare possemus; quare summa cura auctorum (at frustra omnium) inventa qualiacumque exhaurire et in sequentibus pagulis conscribere adlaboravi, ut res pro historia stirpium nostrarum summi momenti ad certitudinem aliquando perduceretur; quum denique in prioribus varia affirmavi, quae sine argumentis iisque specialissimis assumi non possent, praeter defectus etiam plantas novitias omnes in libro laudatissimo Weinmannii non inveniendas, ex anno 1837 accessas, quas ex parte fautoribus amicis in qualibet pagina religiosissime citatis debeo, attuli meamque opinionem in dispescendis his brevitatis gratia siglis sequentibus cuilibet stirpi praefixis expressi:

ext. = plantae extra limites quidem propositos Florae Petropolitanae, sed in Ingria sive gubernio Petropolitano vel inventae vel indicatae.

0 = synonyma vel varietatum vel specierum in Fl. Petrop 1837 receptarum.

- 1 = species (vel 01. varietates) territorio novae vel oblivioni traditae at rursus detectae.
  - 2 = plantae ab auctoribus Florae Petropolitanae olim adscriptae, quarum proventus pristinus vel saltem possibilis hodiernus, me opinante, nulla ratione in dubitationem vocari potest. Facile nunc adhuc Ingriae cives sunt, recentiori tamen tempore, aut non amplius inventae, aut saltem a me nullibi visae.
  - 3 = dubiae.
  - 4 = erroneae.
- 

0. *Callitriche verna* L. Species recentiores a cl. Kützing propositas vix natura et rationibus geographicis confirmatas videmus; *C. stagnali* Scop. exceptâ omnes adsunt et formae pro speciebus venditae: *C. minima*, *stellata*, *angustifolia* Hoppe, *caespitosa* Schultz, *fontana* Scop. *C. intermedia* Schk. tab. 1 f. e. ex Ingria (Rudolph ex Georgi 1800) est pariter forma *C. vernae*.

0. *Veronica elatior* Willd. Enum. hort. Berol. Petropoli (M. Bieberstein Suppl. Fl. Taur. Cauc. 1819). Ad hanc plantam, quae ipsa nil nisi forma *V. longifoliae* polymorphae b. M. Bieberst. amandavit *Veronicam maritimam* Gorteri Fl. Ingrica.

3. *Veronica spuria* L. Gmel. it. I. t. 39. In pascuis montosis prope Krasnoe Selo (Georgi et Sobol.). Locus proximus: Lithuania rarissime. (Eichw.)

1. *Veronica spicata* L. Ad ostium Narowae fluvii abunde in sylva locis siccis et arenosis (Kraschen. ex Gorter); Petropoli (Falk Beitr. II. 96): in campis elatis (Weinm. 1824, sine loco speciali); in Karelia maxime australi ad limites gubernii Petropolitani pr. Kivinebb et var. *villosa* Wahlenb. pr. Mohla et Walkjärvi (Wirzén 1843); at nuper in arenosis umbrosis territorii nostri pr. Oranienbaum duo specimina detexit vir, cui Flora Petropolis plura et eximia debet, cl.

de Küblewein. Ex insula Laiwasaari adest in Hb. cel. de Baer; in Esthonia vulgaris.

1. *Veronica latifolia* L. Ingria (Georgi 1800, hujus loci etiam videtur ejus *V. Teucrium* L. ex Ingria et Petropoli sec. Falk Beitr. II. 96.); Kempelowo pr. Kaskowa in apricis copiose crescit (Hb. L. Baronis Gräwenitz). Etiam in Esthonia media (Hb. Baer).

3. *Veronica triphyllos* L. Insula Petri et Basilii circa portum penteconterum raro (Kraschen. ex Gorter); ad fabricam pyriam Ochtensem raro (Sobol.). Statio proxima: Essern ad limites Lithuaniae. Apud Gorterum vulgatissima *V. verna* adhuc deest.

4. *Veronica acinifolia* L. In collibus prope Oranienbaum (Boeber ex Georgi et Sobol.); pr. Ohta (Sobol. 1801). Verisimiliter forma quaedam *V. serpyllifoliae*.

3. *Veronica hедераefolia* L. Petropoli in ruderatis parce (Rudolph ex Georgi et Sobol.); in Livonia boreali et Esthonia non observavit cl. Baer (ex Eysenhardt Diss. 1823).

1. *Veronica opaca* Fries Nov. (Herb. norm. Suec.) Petropoli v. g. ad montem Duderhof (Hb. Acad.). *Veronica agrestis* L. et *Friesii* ibi quoque at seorsum in agris crescit, promiscue cum individuis corolla tota alba; prope Lisinam legit cl. Graff. *Veronica opaca Friesii* a Bot. Fenn. indicatur ex insula Björkö, Nykyrka, archip. Aboënsi et Alandia.

3 *Gratiola officinalis* L. Petropoli rarius (Rudolph ex Georgio et Sobol.). Loc. prox: Curonia pr. Stabben; jam in Esthonia et Livonia sept. deesse videtur. (Baer ex Eysenh.)

2. *Circaea lutetiana* L. Petropoli (Falk Beitr. II. 1786 p. 95); Catherinhof et alibi (Rudolph ex Georgi et Sobol.) Stat. prox. ins. Björkö (Wirzén), Nowgorod (Güldenst.), Dorpat (Weinmann).

2. (ext.) *Iris sibirica* L. Krascheninnikow semel legit ad fluv. Wolchow supra pagum Tschortowo (sic semper scribunt Kraschen. Gorter et Sobol. sed „Tschudowo“ legendum esse opinor). In gubern. Olonetz (sec. Olbricht); Dorpat (Hb. Zobel).

0. *Valeriana sambucifolia* Fl. Germ. Vide observ. in Fl. Samojed. n. 145.

0. *Montia fontana* Fl. Petrop. (an etiam L. Fl. Suec?) est *M. rivularis* Gmel. 1805 sive *M. lamprosperma* Cham; hujus forma major et minor (Weinm. 1824) heic crescit, sed *M. minorem* Gmel. Petropolitanam nondum vidi.

2. (ext.) *Cladium Mariscus* R. Br. Ingria (Georgi 1800). Indicatur in prov. balt. ross.

1. *Heleocharis uniglumis* Link. Frequens in litore marino aqua subsalsa vel dulci irrigato usque ad urbem; saepe in societate *H. palustris* vel varietatis hujus humilioris.

1. *Scirpus caespitosus* L. Petropoli (Hb. Acad.): ad nosocomium maritimum et alibi (Sobol.); via Peterhofiana (Weinm. 1824; cf. Turcz. 1825 in praef. op. cit.); ad viam Lachtensem sinistra manu in palude extensa inter Nowaja Derewnia et Lachta (Prescott ex Turczan. unde forsitan specc. a me visa in Hb. Acad. pervenerunt).

1. (ext.) *Blysmus rufus* Panzer (balticus). In pratis salsis ad litus sinus Fennici pr. Dolgoi Noss circuli Oranienbaumensis (ipse).

4. *Schoenus nigricans* L. Ingria s. Krascheninnikow; in mss. dicit „unicum exemplar mutilum possideo“ quo loco b. Gorter posuit „in paludibus sed parce“. Prope Murzinca et alibi (Sobol.); an *Schoenus ferrugineus*? qui in ins. Björkö vicina et in reg. e septemtrione lacus Ladogae crescit.

1. *Echinochloa crus galli* P. B. In litoribus maritimis v. g. prope Oranienbaum (Weinm. 1824. cf. Turczan. 1825 in praef.); Kronstadt in horto quodam (Prescott ex Turcz.); in horto oleraceo pagi Amelianowka (Herb. Kühlewein). In Fennia c. Åbo (Wirzén), in Lithuania frequens. (Eichw.)

4. *Setaria verticillata* P. B. Osinova Roschcze et circa Petropolim rarius (Sobol. et Rudolph). Sobolewsky setas retrorsum scabras dicit i. e. digitis retrorsum (deorsum) ductis, quod idem est ac Schraderi setae sursum hispidae (Trin. mss., cui sine dubio *S. viridis* apud Sobol. desiderata).

4. *Phleum arenarium* L. In litore maris arenoso insulae

Basilii ad portum triremium et alibi (Sobol.). Cl. Turczaninow in praefamine op. cit. (1825) pro *Poa bulbosa* habet, an potius specimen ramosum *Phlei pratensis* thyrso abbreviato? Loc. prox. Lithuania pr. Kretingen ad m. balticum. (Eichw.)

0. *Alopecurus aequalis* (Linn.) Sobol. 1779. est i. q. *Al. fulvus* Smith 1805.

0. *Alopecurus pratensis* hic proveniens rhizoma habet stoloniferum, aristas (contra Linn.) longe exsertas et thyrsus sub anthesi coloratum; an *A. nigricans* Hornemann et Rchb.?

1. *Alopecurus ruthenicus* Weinmann 1810! (*A. nigricans* Hb. Willdenow! nec ut videtur Hornem.) Species meo sensu ab *A. pratensi* distincta, praecipue glumarum apicibus non conniventibus, sed divergentibus! et inde quasi truncatis, aristata plerumque abscondita; thyrsus in specc. senilibus (Petropolitana a me in Hb. Acad. visa juvenilia erant) eximie cinereo-fuscus. Hic genuinus etiam in litore marino archip. Aboënsis (ins. Oester-skär) crescit et e Germania specimen pr. Dresdam lectum in Hb. Reichenbachii vidi.

4. *Agrostis miliacea* L. In villa comitis Strogonow, in ins. apothecaria et circa sepes rusticorum prope Gatschinam (Sobol. ex Georgi et seorsum, nec non in mss. 1779). Similis *A. spicae* venti, sed arista terminalis recta, stricta, tantum longitudine flosculi et panícula minus ampla (Sobol.); videtur *Anemagrostis* communis varietas.

2? 3. *Agrostis rubra* L. Catherinhof, Poclonnaja Gora, ins. Newae fluv. et alibi in pratis vernali tempore innundatis et aestate siccis (Sobol.). Genuina Sueciam borealem inhabitat, sed arista non terminalis ut Sobol., in *A. canina* interdum non soluta sec. observ. Trinii (1841). In Fennia tota indicatur (Wirzén 1843).

01. *Agrostis hybrida* Gaud. Petropoli (Trin. 1841 et herb.) passim. Est *A. caninae* forma culmo fasciculato ramosissimo; paniculae radii in nostris specc. hispiduli ut in Halleriano, ad Gaudinium et inde ad Trinium pervento. Alia var. indigena

est *A. pallida* Schk. Trin. 1841. *A. canina* etiam mutica heic occurrit, tum qua *A. vinealis* Schleicheri, tum ad *A. pallidam* Schk. vergens (Hb. Horaninow).

0. *Agrostis polymorphae* Huds. formae sequentes indicantur:  $\alpha$ . *A. hispida* Willd. var. *setigera* Trin. 1841! —  $\beta$ . *A. gigantea* Roth (pro var  $\gamma$ . *A. albae* L.) in graminosis (Weinm. et Trin. 1824); —  $\gamma$ . *A. diffusa* Host (*A. decumbens* Hall. fil.) pratis humidis (Weinm. 1824). Planta Hostii et Halleri paulo diversae; —  $\delta$ . *A. capillaris* L. in pratis (Kraschen. ex Gorter) et ad ductus aquarum frequens (Sobol. errore gravissimo illi adscribit: spiculas 4 floras pubescentes). *A. polymorphae* plures formae Petrop. sine nomine recensentur in Trin. Diss. I. 1824. p. 195. sqq.

1. *Calamagrostis flexuosa*\* Petropoli; ut videtur in societate *C. acutiflorae* prope Pawlowsk in sylvis subhumidis (Hb. Weinm.); specimen etiam a. b. Nippa lectum panicula pallida solum diversum vidi in Hb. Kühlewein. Simili *C. phragmitoide* Hartm. (Hb. norm. Suec. X) a *C. lanceolata* Auct. et bene quidem separata, etiam praesentem distinguere necesse, quum natura plantae magis, quam diagnosis in libris respicienda sit. An species primaria, vix dicam; sed est eodem jure, quo *C. Halleriana* et ab his constanter differt: glumis undique dense pubescentibus: pilis subadpressis, ongioribus quam in affinibus specc.; spiculis conspicue majoribus ob glumas caudatas 3 —  $3\frac{1}{2}$  lin. et panicula magis adhuc diffusa quam in *C. phragmitoide*, qua in re fere similitudinem nanciscitur cum fig. 1450 *Agrost. Reichenb. C. laxam* repraesentante, at radiis paniculae magis arcuato adscendentibus et apice cernuis, praepremis vero setis infra apicem valvulae (ad  $\frac{2}{3}$  longitudinis suae adnatis) eamque subaequantibus recedit; culmus elatus, ramosus; folia 3 — 4 lineas lata.

In hoc graminum genere difficili forte *C. Halleriana* Decand. Trinii Diss. I. 221 et sec. expositionem lucidam etiam Mert. et Kochii olim diversa videbitur a planta *Agrost. Reichenb. f. 1444* et alia ac Suecorum (Hb. norm. VIII). Spe-



cimen helveticum sub dicto nomine a Candollio ipso ante a. 1824 Trinio missum ad *C. lanceolatam* ita accedit, ut serius (et jam. in *Diss. I. p. 219*) qua var. tantum hujus considerare propensus fuerit: panicula densa et setis paulo infra et subinde etiam ad medium valvulae insertis. Talis etiam Petropoli crescit.

1. *Calamagrostis Langsdorffii* Trin. *Diss. I. 1824 p. 225.* Ad ripas, in virgultis, sublumidis circa urbem non rara videtur v. g. ad officinam vitrariam (Küblewein!), viam Pargolensem (Karpinsky!). Culmus robustus, ramosus; panicula larga, deflorata diffusa quidem, sed satis densa; spiculae defloratae clausae, 2 — 3 lin. longae, vel omnino pallidae, vel ad margines sed vix coloribus metallicis tinctae, a dorso compressae et latiores quam *C. Hallerianae*. *C. nutans* Sauter et Reichenb. 1830, quoad icon. *Agrost. f. 1446* praesentis similis, sec. specimen Sudeticum ill. auctoris differt: colore paniculae aequali profundiori, metallico; glumis quidpiam latioribus flosculo paulo tantum longioribus, seta (ex Reichenb.) basilari et defectu rudimenti flosculi secundi.

01. *Calamagrostis neglecta* (Ebrh. 1791) et *C. stricta* (Timm) ab omnibus paene auctoribus ut res eadem considerantur, sed posteriorem ipsissimus Timm a planta Ehrhartiana diversam proposuit: flosculis longioribus, pilis vero brevioribus, quod utique in specc. authenticis utriusque plantae aliisque probatum vidi. Glumae *C. strictae*  $1\frac{3}{4}$  — 2 lin. Paris. (non  $1\frac{1}{2}$  lin.) et acutiores quam in *C. neglecta*; valvula inferior  $1\frac{1}{2}$  (non 1) lin. et magis attenuata, superior 1 (non  $\frac{1}{2}$  —  $\frac{3}{4}$ ) lin.; seta variat quidem magis minusve profunde infra medium valvulae inserta, sed pars libera in *C. stricta*  $\frac{3}{4}$  —  $1\frac{1}{4}$  (non  $\frac{1}{2}$ ) lin. — Plures adsunt harum subspecierum proles, locis singulis habitum saepe insignem servantes. Sic e. g. in pratis humidis sinui Fennico adjacentibus a Petropoli usque ad archipelagum Aboënsem forma *C. strictae* pallida communis est et fere geniculata Fries Hb. norm. VIII. 88. et Mant. III. Alia est forma *C. neglectae* nigrescens, glumis margine tantum colore profundiori, non metal-

lico tinctis, ob paniculam insuper aetate provectori laxam ad *C. obtusatam* Trinii (valvulis aequae longis diversam) accedens. Et forma *C. strictae* eximie interrupta datur, forsan confluens cum *A. stricta*  $\gamma$  interrupta Wahlenb. Fl. Lapp. p. 28, sed panicula saepius heteroclada (non cylindrica) ob radios nonnullos longe pedicellatos et laxos, fasciculum conglobatum superantes; accedit interdum (et quidem in locis aperitis uliginosis ex observ. trienni cl. Kühlewein) color stramineo-virescens, quo, si insuper radii parci verticillati et minus adpressi sunt, fit, ut progenies jam aegre recognoscatur.

0. *Arundinem* s. *C. variam* Schraderi! et Rchb. Agr. f. 1443 cujus, nisi *C. montanae* Host (saltem Reichb. exs. n. 514) specimen tantum unicum in collibus arenosis siccis pr. Toxowam invenit Trinius (vide ej. mss. 1823, Diss. I. et Turczan. documentum forsan in Hb. prim. Trin. Mosquae ass.), nondum e Petropoli vidi; adsunt vero formae propinquae ex stirpe *C. sylvaticae*, minus ob defectum barbae ad basin externam laminae foliorum (quae rarius in *C. sylvatica*, sed saepissime in *C. varia* deest), quam potius propter spiculas minores ovatas obtusas  $1\frac{1}{2}$  (non  $2 - 2\frac{1}{2}$ ) lin. Transitum quasi inter has species, quoad longitudinem aristarum haud semper discrepantium, alibi offerunt: *C. Hostii* R. et S. latifolia ex Austria inferiore (a qua vix differt *C. varia* Wallr. Ann. bot? et in Rchb. exs. n. 110) et *C. parviflora*\* Aboënsis (*C. pyramidalis* Trin. Diss. I. 223 et teste Rochel etiam Schultesii Oestr. Fl. non vero Host Gram.) in subalpinis Austriae et Bannatus et forsan etiam circa Petropolim obveniens, quarum prima e conditione pilorum flosculi ad *C. variam*, altera ad *C. sylvaticam* vulgo rejicitur, utraque vero spiculis minoribus et angustioribus, nec late ovatis, insignis est. *C. sylvatica* (Upsaliensis Ehrhartiana) ceterum Petropoli frequentius grandiflora et colorata facie *C. pyramidalis* Agr. Reichb. f. 1441 conspicitur, vix unquam figurae 1440, quae paene ad *C. parvifloram* citari possit, si spiculae 1 lineales essent.

0? 1. *Calamagrostis acutiflora* Fl. Petrop. et Trin. Diss. I.

p. 222. omnino quadrat ad descriptionem *Arundinis acutiflorae* Schraderi in Fl. Germ. I. 217, sed fretus sententia novissima Friesii et inspecto specimine in Hb. norm. Suec. X (quod haud glaucescens aliquantulum majore et spiculis parum angustioribus separare possem ab originali Schraderi ac alio decolore *C. subulatae* Gay et Dumortierii Belgico cl. Lejeune, adprime in Agrost. Reichenb. fig. 1442 depicto) differentiam ex planta Petropolitana posuissem constantem in panicula minime lobata, sed potius lucida, effusa et laxa; radiis longioribus erecto-patentibus; spiculis sparsis, remotioribus, longius pedicellatis (defloratis apertis). His igitur notis nostra maximopere convenit cum *C. montana* (Rehb. exs. 514) et quasi forma ejus grandiflora et acutiflora est, alibi forsitan ignota; consultum igitur videtur, vel *C. acutifloram*, donec transitus manifesti non patent (Gothlandica Hb. norm. VIII. 89. Fries. Nov. Mant. III. 3. mihi nondum satis nota) duplicem distinguere sc.  $\alpha$ . Schraderi et  $\beta$ . Trinii, — vel *C. acutifloram* Schraderi auctoritate Reichenbachii et Friesii restituere atque nostram (in sylvis subhumidis raram) sub nomine *C. Trinii*\* sui juris proponere.

4. *Arundo arenaria* L. In ripa arenosa insulae Petri (Krascheninnikow ex Gorter) et Basilii ad portum triremium. (Sobol.) Secundum investigationes Trinii est *Calamagrostis stricta*, his auctoribus adhuc ignota. *Ammophila arenaria* in litore maris baltici ad Kretingen et Riga usque procedit.

4. *Aira alpina* Fl. Dan t. 961 (*Aira atropurpurea* Wahlenb.) In montosis Pargelowii et Manachtinae (Sobol. ex Georgi et seorsum, nec non mss. 1779). Videtur *Airae flexuosae* var. panicula contracta, quam icon Fl. Danicae a Sobolewskio citata quodam modo refert. (Trin. mss.)

4. *Aira subspicata* L. Copiose in sylvis humidis montosis Gatschinae et Duderhofii (Sobolew. ex Georgi et separatim, etiam in mss. 1779). Cl. Prescott quaerit, an Sobol. pro hac *Koeleriam cristatam* habuerit; convenit locus, sed sylvae humidae? color glumarum. (Trin. mss.)

2. *Koeleria cristata* Pers. In monte Duderhof rarius (Pres-

cott ex Turczan.), ibi jam Buxbaum legit (Trin. mss. 1823; in graminario ejus desideratur); in graminosis montosis circa Duderhof, Junio mense (Buxbaum Cent. V. 35, sed figura exhibita rudis etiam aliud gramen exprimi potest). Indicatur in prov. balt. ross. ut seq. Corynephorus.

2. *Aira* (*Corynephorus*) *canescens* L. In arenosis circa urbem Sophia parce. (Rudolph ex Georgi et Sobol.)

2. *Avena elatior* L. Ad margines sylvarum ab agris remotarum prope Krasnoi Kabak et Ligowo rarius (Rudolph ex Georgi et Sobol.); in pratis insulae Petrowsky nunc copiosa, sed apparenter cum aliis graminibus indigenis sata; etiam in Hb. Kastalskiano exstat, ane cicur?

2. *Avena pratensis* L. In argillosis ad officinas lateritias (Kraschen. ex Gorter) ad viam Schlüsselburgensem nimirum sitas, porro in ins. lapidea et ad viam Wiburgensem (Sobol.); saepissime vaginae inferiores et folia *A. pubescentis* etiam glabra inveniuntur et Kraschen. specimen unicum modo observavit, indeque ad *A. pratensem* referre maluit (Trin. mss. 1823 et in Ledeb. Fl. Alt. I. 90). Apud Gorterum *A. pubescens* deest, Sobolewsky ambas enumerat.

2. (ext.) *Avena flavescens* L. Ingria (Georgi 1800). Indic. in prov. balt. ross.

2? 3. *Avena fatua* L. Inter segetes (Gorter Fl. Ingr.; Kraschen. in mss. ne hunc quidem locum habet). Indic. pr. Dorpat (Weinm. 1810); in Fennia sec. Kalm, an sequens?

1. (inquil.) *Avena strigosa* Schreb. Circa Nowo-Iwanowskoe (Trin. ex Turcz.), semel in agro lapidoso neglecto (1823 legit Trinius!); inter segetes Petropoli (Trin. 1836 et Hb. Karpinsky).

1. *Triodia decumbens* P. B. In montosis pr. Pargolam sat copiosam detex. Trinius a. 1827. (Hb. Trin. et Acad.) Extra territorium: in ins. Aspö (Hb. Baer), in inss. Korpo et Nagu Lill Land archip. Aboënsis (ipse).

2. *Melica uniflora* L. Ingria (Georgi 1800); in sylva montis Duderhof rarissime (Turcz. et Trin. mss., specimen non amplius suppetit). Statio prox. Holmia Suec.

4. *Melica altissima* L. In sylvis umbrosis humidis circa Gatschinam et Sophiam (Sobol. ex Georgi et seorsum 1799); in eodem loco cum *Aira subspicata* sc. Gatschina, in praedio principis Orlow (Sobol. mss. 1779). Absque dubio erit *Poa molinioides* nostra, praesertim ob locum natalem, fortasse autem cum *Poa sudetica* confusa. (Trin. 1823 mss.) Conf. *Glyceriam* norvegicam subseq.

2. *Sesleria coerulea* Ard. In pratis uliginosis sub *Junipero* frequens (Gorter detexit, nec Kraschen.); in montosis Strel-nae circa *Juniperos*, sed in aliis locis raro. (Sobol.) Turczaninowio in praef. op. c. 1825 potius *Cynosurus cristatus*; sed veram jam vidi e Dorpat, Reval et Mosqua.

1. *Glyceria norvegica* Sommerfelt. In umbrosis humidis prope Tsarskoe Selo solitarie (Hb. Trin.); in sylvis humidis prope Pawlowsk. (Hb. Weinm.) Collatis mss. Trinii huc citanda: *Poa molinioides* Trin. ex Turcz. 1825 (sine descr.) pr. Nowo-Iwanowskoe et (sec. Prescott ex Turcz.) pr. Menahtinam. *Glyceria spectabilis*  $\delta$ . Trin. in Act. Petropol. 1830 p. 365 eadem est.

1. *Glyceria plicata* Fries Mant. II. Hb. norm. Suec. V. 1838. Petropoli haud rara videtur; extra limites Ingriae in paludosis ad ostium fl. Kymmene (F. Nylander) et in Esthonia (Hb. Baer). Rarius haec forma minutiflora: spiculis praecedente fere duplo minoribus, 3 — 4 lin. longis,  $\frac{1}{3}$  lin. latis, flosculis linealibus tantum et minus nervoso-costatis, radiis verticillorum scabrioribus (Hb. Graewenitz). Formae intermediae forsitan adsunt inter has et *G. fluitantem* P. B. 1812 et Auctorum, non R. Brown Prodr. Fl. N. Holl. 1810, quae potius *Glyceria Novae Hollandiae* dicenda, glumis et flosculis multo angustioribus et acutioribus (fere *G. acutiflorae* Torrey) bene diversa.

4. *Sclerochloa rigida* Link. Ingria (Georgi 1800).

1. *Poa quadripedalis* Ehrh! Nylander Spicil. Fl. Fenn. II. p. 3. Tsarskoe Selo (Hb. Trin.); in umbrosis humidis ad rivulum Ruditza pr. Lapuchinka copiose. Huc *Poa sudetica*

mult. Auct. non Haenke, nec indiscriminatim Fl. Petrop. partim cum *Glyceria norvegica* confusa.

3. *Poa bulbosa* L. In insula apothecaria et lapidea, alias in hortis oleraceis et passim in pratis sat copiosa (Sobol. ex Georgi et seorsum, nec non mss. 1779); insulae Newae fluv. (Sobol. 1801); Petropoli (Turczan. vide *Phleum arenarium* supra). Erit *Poa pratensis* humilior rubescens. (Trin. mss.)

01. *Poa pratensis*  $\beta$  minor Wahlenb. Ups. (*P. humilis* Ehrh. et *P. subcoerulea* E. Bot.) Petropoli non rara, at saepe pro *P. annua* sumpta.

1. *Poa fertilis* Host. In pratis fertilibus et collibus graminosis (Weinmann 1824 s. n. *P. serotina* Ehrh.) ubique! Nostra specc. maxime conveniunt cum icone *P. palustris* Reichb. Agr. f. 1645, effusae f. 1646, nec non cum illa Hostii III. t. 14; adsunt etiam formae spiculis 2—2½ linealibus et minoribus, quae si folia suprema simul abbreviata sunt, *P. serotinam* Ehrh. Calam! sistunt. Ad hanc sec. Weinmann 1824 et Trin. mss. spectat quoad plantam Sobolewskii: *Poa palustris* c. cit. Fl. Dan. t. 750 (pessima et sec. Hornemann — *P. nemoralis* L.) in regione Wiburgensi prope ecclesiam St. Samsonii, circa coemeterium St. Joannis et in multis aliis locis paludosis. (Sobol. Fl. et mss. 1779, Rudolph, Georgi.)

01. *Festuca* (rubra) *arenaria* Fries. In maritimis pr. Peterhof (Hb. Graewenitz); copiose quoque in litore arenoso pr. Krasnaja Gorka 20 leucis ex occidente urbis Oranienbaum.

01. *Bromus* (inermis) *subulatus* Trin. herb. Passim in cultis et graminosis hortorum. Recedit a typo heic rarius obveniente: subulo valvularum 1—2 lin. longo; glumis et flosculis acutioribus, angustioribus; spiculis vix (nisi juvenilibus) a dorso compressis.

3. *Bromus tectorum* L. In montosis Pargelowii, Murzincae et Ribaczia rarius. (Rudolph ex Georgi et Sobol.)

4. *Bromus squarrosus* L. Pargola, Ligowa et Krasnoe Selo ad vias agrorum satis copiose (Sobol. Georgi); circa Pargolam et Murinam sed pauca quantitate (Sobol. mss. 1779).

2. *Lolium arvense* With. Petropoli inter *Linum* (Weinm. 1824); prope Murina. (Prescott ex Turcz.) Indic etiam in prov. balt. Forsan erit *L. linicola* Sonder ex Koch syn. edit. 2.

4. *Elymus sibiricus* L. Frequens in sylva umbrosa humida montis Pulcowa (Sobol.). Ad var. *Tritici repentis* spiculis geminis, mihi circa Petrop. nondum visam forsan pertinet (Trin. mss.); an *Agropyrum caninum* loco citato copiosum? hoc autem seorsum apud Sobolewskium legitur. *Elymi europaei* locus proximus: sylva Bielowesha Lith. (Eichw.)

3. (ext.) *Globularia vulgaris* L. In pratis siccis et arvis ad fluv. Luga (Kraschen. ex Gorter): praesertim circa praedia ill. Baronis Tscherkasow (Kraschen. mss. 1752). In prov. balt. solo auctore Grindel, nec in Lithuania et Podolia ind.

01. *Scabiosa sylvatica*. In sylvis et campis circa Oranienbaum (Boeber ex Georgi) et Manachтина, sed parce. (Sobol.) Sine dubio i. q. *S. arvensis* var. *integrifolia*: supremo tantum pari foliorum pinnatifido, caule pilis brevibus canescentibus destituto, pilis vero hispidis bulbo insidentibus instructa. Talis forma, heic non raro obvia, sed in typum multifariam abiens, sec. synops. Kochii edit. 2. facile pro *S. sylvatica* determinari posset, sed non est vera Linnaei et Mert. Koch. Fl. Germ. praecipue foliis glabris magis virentibus diversa.

† *Sherardia arvensis* L. In agris insulae, cui a Petropoli nomen, prope loca castris metandis legioni Astrachanensi assignata. (Kraschen. mss.) Planta a Gortero omissa, cujus specimen *Ingricum Krascheninnikowii* in Hb. Acad. adhuc exstat. In Lithuania sec. Georgi.

4. *Asperula laevigata* L. Sylvae siccae Pargelowii, in monte Pulcowo et passim in locis elevatis umbrosis. (Sobol.)

4. *Galium rotundifolium* L. Passim in sylvis (Kraschen. ex Gorter. Sobol. plantam Gorteri qua  $\beta$ . ad *Asperulam laevigatam* suam duxit, seductus forsan verbis Linnaei.

4. *Galium glaucum* L. In pratis siccioribus inter *Polytricha* (Kraschen. p. p. ex Gorter); in monte Pulcowa. (Sobol.) Kraschen. in mss. plantam suam solo synonymo Halleri a Linnaeo neglecto illustravit; crederem igitur formam *G. uli-*

ginosi vel? Galium palustre quoddam polyphyllum intellexisse, vix enim assumere licet Asperulam tinctoriam.

0. Galium palustre L. Adsunt formae: panicula laterali aliae foliis quinis fere linearibus a typo recedentes. Inflorescentia interdum ita depauperata, ut ab illa G. trifidi europaei (vide Fl. Samoj. n. 141) interdum in viciniis crescentis haud discerni possit; hoc igitur necessarie juxta G. palustre in systemate collocari debet et forsitan solum differt pedunculis fructiferis refractis et floribus minoribus (non semper) trifidis.

02. Galium spurium L. Inter segetes circa montem Duderhof et urbem Jamburg (Boeber ex Georgi et Sobol.); ad fluv. Luga (Georgi 1800).

01. Galium infestum W. K. Insula apothecaria et inter segetes pr. Lachta (Turcz. cui G. Aparine deest); inter segetes non rarum v. g. Duderhof, Lapuchinka.

4. Sanguisorba ingrlica Sweet Hort. Brit. edit. 3. p. 229 (floribus albis). Praeter cl. Sweet nemini nota, nec quaedam Sanguisorba in Ingria. S. officinalem e Livonia aust. (Riga) vidi.

2. Potamogeton fluitans Roth. Petropoli (Weinm. 1824). Ad hanc speciem sec. M. Bieberstein Fl. Taur. Cauc. III. (1819) p. 115 pertinet: P. natantis varietas foliis lanceolato-oblongis longius petiolatis Sobol. Fl. Petrop. sub. n. 123.

1. Potamogeton perfoliatus L. In vadosis fl. Newae! et sinus Kronstadtensis! (Kraschen. ex Gorter); Petropoli (Turcz. Weinm. 1824): minime rarum et saepe qua var.  $\delta$ . cordato-lanceolata Mert. et Koch. (Cham! et Schlecht. Linn. 2. 190 forma C.)

1. Potamogeton crispus L. In rivulis rapide fluentibus pr. Gostilitzy copiose, plerumque foliis solito latoribus et acutioribus. Haec species vix a quodam herbario Petropoli inventa fuit et quod Kraschen. Gorter et Sobolewsky pro P. crispo e fluv. Newa indicarunt, folia minime crispa habuit, ut in adnotatione ingenua Krascheninnikowii legitur.

1 Potamogeton zosteraefolius Schum. Petropoli (Weinm-



1824. Turcz.): Frequens et copiose! Species haec sec. disquisitiones Friesii, assentiente quoque Kochio, verus est *P. compressus* Linnaei Spec. pl. — non herb. Linn., nec *P. compressus* Oeder, Smith, Mert. et Koch, Fieber, Reichenbach. Sub tantis igitur controversiis auctoritatum summarum nomen Linnaei posteriorem minus quam *P. zosteræfolium* designans aptissime relinquendum esse censeo, substituendo forsàn cum applausu plurium sequens:

0. *Potamogeton Friesii* \* s. *P. compressus* Reichenb. Icon. f. 42 et Weinm. Fl. Petrop. n. 122 a. Tempore antiquiori hic et imò a cell. Mert. et Koch pro specie a *P. pusillo* diversa considerabatur, donec cl. Chamisso et Schlecht. a. 1827 rationibus verisimillime theoreticis ducti (transitus enim nemo adhuc observasse videtur) formam *A. P. pusilli* declaravere. Cl. Fries exinde *P. pusillum* a. majorem fecit, pluribus notis a typo diversum, nec cum homonyma planta Mert. et Kochii (1823) confundendum. Similitudo fructus *P. hujus* et *P. pusilli* ansam conjunctioni his auctoribus praebuisse videtur, reliquae partes vero adeo discrepant, ut vel in distributione speciminum steriliùm utriusque et incompletorum lapsus difficilis sit. Cl. Fieber a. 1837 iterum pro genuina specie bene restituit, sed epicrisi Friesii illi ignota pro *P. compresso* Linn. Spec. habuit, ut etiam cl. Reichenbach, plantam Linnaei auctoritate Oederi suffulciens et pro more suo egregio integrum genus lucidissime exponens. *P. mucronatus* Schrader, qui teste cl. Reichenbach (1844) idem est quod *P. Friesii*, ab auctore (Schrad.) nullibi descriptus, eo minus cum affinibus expositus botanicis (v. g. Roem. et Schult. Mert. et Kochium) diu vexavit; hinc non est, cur nomen ejus antepo-nam cl. Friesio, qui primus omnium et doctissime demonstravit, in quam specie genuinus *P. compressus* Linnaei quaerendus sit. Restat ut *P. (pusillus major) Friesii* in Hb. norm. Suec. V. non omni ex parte dubiis vacans de novo iterum exhibeatur.

01. *Potamogeton (pusillus) brevifolius* Meyer Chloris Hanov! (descr. apud Cham. et Schl. Linn. 2 p. 172 ad

spec. Göttingensia). Petropoli (Bongard in Hb. Acad.) v. g. pr. Tsarskoe Selo (Hb. Timiansky). Quoad habitum et singulas partes etiam fructus convenit Reichenb. l. c. fig. 37 et a P. Berchtoldi Fieber! solum differt cellularum evolutione in foliis superioribus.

2. *Potamogeton trichoides* Cham. et Schl. In fluvio Newa (Cham. Linnaea 1827, p. 176). Fructus in spec. Herb. Chamissonis ex hoc loco desunt, hinc etiam P. pusillus tenuissimus Mert. et Koch, Rchb. f. 39 esse possunt, quem e Fl. Petrop. (exam. spec. fruct. in Hb. Weinm.) indicare valeo. Ceterum in spec. Petrop. saepe folia longiora et in sicco crispula atque nigricantia sunt, uti in P. trichoide vero.

2? 3. *Centunculus minimus* L. In arenosis inundatis partis Wiburgensis et Catherinhofii. (Patrin ex Georgi et Sobol.) E Mosqua et Curonia jam vidi.

4. *Sagina erecta* L. (*Moenchia erecta* Fl. Wett.) Ad ripam lacus Pargelowii, ad rivulos Dranici et multis aliis locis humidis declivibus (Sobol.); circa urbem Jamburg (Boeber ex Georgi).

2. *Sagina apetala* L. Golodaja, prope coemeterium Smolensk. (Mertens ex Turcz.) Stat. prox: Livonia.

1. *Myosotis intermedia* Link. In agris, locis siccis et ruderatis fere ubique a Iunio m. ad finem Augusti florens. M. arvensis: in agris siccis et in parte urbis Petriburgensi (Sobolew. 1801), in agris apricis copiose (Weinm. 1824) quoad syn. Weinm. certe ad M. intermediam spectat; planta Sobol. facile cum M. stricta Link confusa.

1. *Asperugo procumbens* L. Ingria (Georgi 1800); Petropoli. (Hb. Acad.) Loci prox: Dorpat (Weinm. 1810); ins. Laiwasaari (Hb. Baer).

1. *Symphytum officinale* L. Ad coloniam Peterhofianam (Bongard in Hb. Acad.); in parte urbis Wiburgensi (Hb. Graff); in hortis passim quasi spontaneum vidi, prope Murinam in rudibus cl. Karpinsky. Extra territorium Fl. Petrop. ad fl. Wolchow pr. pagum Tschudowo frequentissimum jam observavit Krascheninnikow (ex Gorter Fl. Ingr.); Dorpati

(Weinm. 1810); ad margines agrorum Solano tuberoso consitorum Nylandiae pr. Borgå (ipse).

2 Cynoglossum officinale L. Petropoli (Falk Beitr. II. 123); in monte Duderhof et in ejus viciniis herbosis montosis. (Sobol.) Locus magis fidus: Nowgorod (Krasch. ex Gorter).

2. Lithospermum officinale L. Ad vias agrorum Petropoli parce (Boeber et Rudolph ex Georgi et Sobol.): nempe pr. Krasnoe Selo (Sobol. 1801).

? (ext.) Anchusa angustifolia L. Jamburg (Boeber ex Georgi et Sobol.); an forma angustifolia A. officinalis?

4. (ext.) Anchusa tinctoria L. Jamburg. (Boeber ex Georgi et Sobol.)

1. (auf?) Echium violaceum Lehm. apud Mert. et Koch Fl. Deutsch. II. p. 91 bene descr. (vix Linne.) In siccis ad radicem montis Duderhof loco, quo nullae plantae suspectae, nec horti in viciniis unicum modo specimen m. Aug. 1835 invenit L. B. Gräwenitz. Pro stirpe indigena haberem, si huc: Echium orientale Stephan Fl. Mosq. in agris rarius crescens. Sed hoc forsán idem est cum planta Tanaicensi, quae a nostra specie differt: tuberculis magnis in omnibus herbae partibus, setas rigidas divaricatas gerentibus, corollis longioribus angustioribus, tubo exserto etc.; plerumque in hortis s. n. E. cretici colitur; corollae extus dense (praesertim versus tubum) pilis mollioribus fere pubescentes; in E. violaceo nostro ut et M. Biebersteinii! pili extus rari sparsi rigidiores et longiores, tubus inferne glaber. Echium violaceum M. Bieb! e Tauria convenit cum nostro, sed multo hispidior est et bracteae paucae vel tantum infimae 1 — 2 calycibus longiores sunt, sed hoc forsán e statu magis evoluto; exacte nostrum M. Biebersteinio communicavit Trattenik Vindob. a. 1804 sub nomine E. violacei (an cultum?). Echium violaceum Linnaei e duabus speciebus compositum videtur: e planta Clusji: Echium fl. rubro, cui locus natalis „Austria“ pertinet, e figura adjecta sine dubio E. rubrum Jacq.; altera species in horto Upsaliensi culta forsán var. E. vulgaris.

2. (ext.) *Androsace maxima* L. Ad urbem Narwa. (Boeber ex Georgi et Sobol.)

1. *Anagallis arvensis* L. Prope Lisinam (unicum spec. in Hb. Kühlewein). Ind. pr. Dorpat (Weinm. 1810).

1. *Glaux maritima* L. In insula Kronstadt ad litus maris, sed non tam frequens quam pr. Dolgoi Noss circuli Oranienbaumensis.

4. *Menyanthes* (*Limnanthemum*) *nymphoides* L. Nawa (i. e. tropus ubique pro Fl. Petrop. usurpatus in Falk Beitr. II. 126).

4. *Campanula Rapunculus* L. Nawa (Falk Beitr. II. 127).

4. *Campanula sibirica* L. Nawa (Falk Beitr. II. 127).

4. *Campanula uniflora* L. In pratis ad fl. Wolchow (Krasch. ex Gorter); ubi unicum tantum specimen invenit Krasch. (ex ejus mss.)

4. *Campanula rhomboidalis* L. Passim cum *C. rapunculoides* in sylvis pr. Strelna, varietas autem glabra in monte Duderhofii occurrit, quam tamen ipse non legi (Krasch. mss. et ex Gorter); in sylvis umbrosis Pargelowii, Manachtinae, montis Pulcowae et in monte Duderhof copiosissime cum suis varr. subasperis et glabris, floribus albis et coeruleis. (Sobol.) *C. Trachelium* vel var. *C. rapunculoides* diceret, quam vero Krasch. et Sobol. seorsum enumerant. Forsan ex observatione Krasch. in fig. Bauhini specimen *Adenophorae liliifoliae* jam pr. Dorpat crescentis (an *aufugae*? quaerunt Fl. et Lindem.) coram habuit, quae ita similis *C. rhomboidalis* ut a Willdenowio qua var.  $\beta$ . subsumpta fuerit. Krascheninnikowio ceterum jam omnes *Campanulae* Petropolitanae notae fuerunt excepta *C. latifolia* (ejus var. glabra?) in figuram Bauhini minus quadrante.

1. (auf?) *Ribes Grossularia* L. In monte Duderhof (Bongard in Hb. Acad.); in parte urbis Wiburgensi (Hb. Graff); in viridario Peterhofiano subsponte (Hb. Horaninow); pr. Kempelowo sed vix ferum (Hb. Graewenitz). Varietas hujus: *R. uva crispa* L. in fruticetis pr. Peterhof subsponte (Bongard in Hb. Acad.). *Aufugos* et *superstites fruticulos* ipse

non raro vidi, utrasque etiam plantas quasi spontaneas jam adfert Sobolewsky a. 1801 et in dumetis prope pagos Fenniae australis b. Prytz.

2. (ext.) *Evonymus europaeus* L. Ad fl. Luga in sylvis montosis. (Sobol.) Indic. pr. Dorpat.

1. (ext?) *Rhamnus catharticus* L. Ad fluv. Narwa circa catarractas (Krasch. ex Gorter); lapsu tantum „Newae fl.“ apud Sobol. Vidi inter plantas Petropolitanas Kastalskii, sed sine loco speciali indicato. Extra Ingriam pr. Dorpat (Weinm. 1810), Esthoniae (Hb. Baer).

1. *Viola epipsila* Ledeb! In graminosis, humidis et umbrosis fere ubique. Cum plantam hanc omni attentione vivam frequenter perscrutatus sum, characteres et differentias a proxima *V. palustris* plenius adferre licet. 1°. Indumentum in pagina inferiore foliorum et interdum in suprema parte pedunculi infra florem conspicitur, sed subinde in folio infimo (primo) deest: *V. palustris* genuina semper glaberrima. 2°. Statura major quam *V. palustris*, non absolute quidem, sed semper si ambae in eodem loco crescunt. 3°. Folia in utraque reniformia, sed in *V. epipsila* in acumen evidentius producta et ita reniformi-cordata. Numerus foliorum variabilis, si duo vel plura adsunt, tunc infimum saepe glaberrimum et ab illis *V. palustris* forma distingui nequit. 4°. Folia *V. epipsilae* in vivo rugosiora ob venas in pagina inferiore magis prominentes. 5°. Bractae saepenumero supra medium pedunculi positae et interdum flori valde approximatae, rarius in medio pedunculi; sed dantur etiam individua *V. palustris* pedunculis supra medium bracteatis. 6°. Flores relative majores quam *V. palustris*; at mensura vix stabilienda, cum magnitudine enim totius plantae flores 6—9 lineales ludunt, eadem ratione calcar longitudine et crassitie increcit ita, ut lineam saepe promineat; in *V. palustris* plerumque tantum lineam dimidiam. 7°. Petala prius caduca et duo superiora *V. epipsilae* mediis non tam arcte accumbunt, ut in *V. palustris*, hiatus saepe semilinealis. 8°. Flores quidem variant colore e normali coerulescente in pallidorem et fere albidum,

sed numquam roseus adeo immixtus deprehenditur ut in *V. palustri*. Ast quanta etiam, his perspectis, differentia inter utrasque plantas sit, tamen transitus omnes, nisi specimina hybrida (at polymorphá) adpellare mavis, observavi; constantissimos characteres 1<sup>m</sup>, tum 3<sup>m</sup> et 6<sup>m</sup> laudarem, sed sensim sensimque etiam hi evanescent, ita quidem, ut omnino quaedam individua intercurrant ad neutram utramque pertinentia. Quibus perspectis ambas in unam speciem contrahendas (semper vero simul distinguendas) esse non dubitarem, ni localitates invenissem, quibus alterutra solum, ne passu quidem sibi invicem approximatae proveniret et ex terris alpino-arcicis, ubi *V. epipsila* non rara (exceptis 2 specc. Lapp. ross.) nullam adhuc *V. palustrem* genuinam obtinuissem, quare etiam diversitatem in distributione geographica supponerem. In solo teneriori et spisso v. g. circa truncos arborum emortuarum *V. epipsila* major fit (semipedalis) macrophylla (fol. 2 poll. in diametro) et grandiflora; folia etiam magis explicata vernicositate quadam etiam in sicco statu persistente splendent; ab hac forma *V. scanicam* Fries Nov. Mant. III. 117 et Herb. norm. (speciminis visi folia subtus pubescentia) distinguere amplius non valeo; sed omnes transitus in *V. epipsilam* minorem eodem loco crescentem scrupulose persequutus sum; in *V. scanica* pedunculus folia rarius quidem supereminet, frequentius in forma minore, sed frustra limites quaeruntur; qui utrasque distinguere volunt (sed saepe non poterunt), individua minora foliis minus evidenter acuminatis *V. epipsilam* Ledeb. nominent. *Violam scanicam* et *V. palustrem* membra maxime opposita et memorabilia typi ejusdem fingerem.

0. *Viola uliginosa* nostra differt a germanica typica, ut icone apud Reichenb. Vol. XIII et descriptione Mert. et Koch Fl. Germ. p. 256 explicatur: floribus non pallide, sed saturate violaceis, colore *V. odoratae* apud Reichb. l. c. specc. tamen vidi e Russia media occid. (Nowgorod Sewersk), quibus Mertensii filius b. adscripsit „flore albo“ hinc forsan alibi color variabilis, sin secus, restituatur pro nostra: *Viola in-*

grica M. Bieb. ined. 1809! Etiam sub nom. *V. fennicae* Liboschitz (an a Stephano in Icon. pl. Mosq. descriptae?) in herbariis vagatur et qua talis auctoritate Stephani in catalogo Turczaninowii 1825 enumeratur. Magnitudo florum in Russia media variat a 7 ad 12 lineas; Petropoli vix pollicem dimidium excedunt et colorem dictum servant, donec aetate marcescunt, maculis albescentibus (jam initio v. medio m. Maji) in conspectum venientibus; pedunculi in vivo angulosi et uno latere evidenter plani vel interdum canaliculati; folia crassa, sed *Uredo* incipiens? in pagina inferiore, qua in statu sicco fere semper ab affinis *Violis* dignoscitur, in planta viva non adest (nec petiolus alatus); papillae contra minutae et densissimae in pagina superiore in sicco fere evanescent; in specc. emarcidis *V. uliginosae* charta non compressis foveolae formantur loco *Uredinis*; certe folia serotina pubescentiam majorem induunt, dum primordialia persistentia in eodem specimine glabra sunt, sed tam acuta ut in spec. Herb. norm. Suec. (cujus sepala acutiora et angustiora) forsân in nostra non inveniuntur. Quoad stigma *V. uliginosa* et *V. palustris* in unam plerumque rediguntur sectionem; sed *V. palustris* eximie laterale in stylo truncato, *V. uliginosae* subapicale in stylo quidpiam gibberoso.

2. *Viola odorata* L. In montosis Duderhofii cum *V. hirta* (Kraschen. ex Gorter) et in ejus viciniis (Sobol.): nempe pr. Krasnoe Selo (Sobol. 1802). Formam *V. hirtae* circa Petrop. invenit b. Nippa (Hb. Kühlew.) stolone hornotino, sed rhizoma crassum cicatricosum diagnosis firmat.

1. *Viola hirta* Linn. In montosis Duderhofii (Kraschen. ex Gorter; Sobol.; Turcz.); Manachtina (Sobol. 1802); Duderhof et Pulcowa copiose (Weinm. 1824). Quam in graminosis montis Duderhof non raram inveni, est genuina *V. hirta* Linn. Mant. sec. Fries Mant. III. 118 et Hb. norm. Suec. VIII forma rhizodes; pr. Ruskiala vero e septemtr. lacus Ladogae in umbrosis frequentius var. *umbricola* Rehb.

2. *Viola stagnina* Kit. Ad hanc cel. Ledebour in Fl. Ross. ducit *V. montanam*  $\beta$ . strictam Weinm. *Viol. Ingr.*

1836 passim in graminosis Petropoli crescentem. *V. montana* invenitur quandoque foliis basi minus profunde cordatis, imo truncatis simulque parum longioribus et acutioribus (*V. lancifolia* Besser, sec. spec. M. B. 1815 com.), quo statu facile pro *V. stricta* Horneum. haberi posset, sed flores in vivo non lactei sunt, ut v. g. apud Reichenb. in *V. lactea* et affinibus pinguntur, neque *Viola* quaedam floribus hujus coloris heic certo inventa est, sed *V. montana* saepe pallidiflora ludit, ut etiam rhizomate laxè diramificato. Talia spec. potissimum indicare voluit cl. Weinmann l. c., ut ex icone Fl. Dan. t. 1329 laudata apparet, quam cl. Fries pro *Viola canina macrantha* s. *montana* declarat. *V. montana*  $\alpha$ . *glabra* Weinm. l. c. folia superiora profunde cordata gerit et forma geniculata quaedam *V. caninae* est.

1. *Viola sylvatica* Fries s. *V. sylvestris* Reichb. In nemorosis non rara; adest etiam hujus forma frustranea Laestadii 1814 singularis et fallax. Aliae formae frustraneae seu potius fructiferae ad *V. montanam* pertinere videntur et has Iconogr. Reichenb. f. 4508 sinistra: caule flexuoso et foliis superioribus fere sessilibus exacte refert; haec *V. canina*  $\beta$ . *umbrosa* Weinm.! 1836.

01. *Viola* (tricolor) *Kitaibeliana* R. S. Petropoli (Horaninow!) lecta paulo diversa: caule semper unifloro et stipulis linearibus subsimplicibus petiolum vix superantibus. Pro *V. trimestri* Dec. e descriptione haberem, sed haec forma australis videtur floribus variegatis et est i. q. *V. saxicola* R. S.

1. *Herniaria glabra* L. In arenosis Pargolae 2—3 spec. (Turcz.); in arenosis circa monasterium, quod Petropolim inter et Strelna Mysa situm est (Kraschen. mss.; a Gortero praetervisa); in arenosis pr. Oranienbaum copiose (Horaninow; Küblew.); ad vias pr. Kuschelewka plura spec. In Kareliae isthmo circa Kivinemi adhuc vidi.

2. *Chenopodium urbicum* L. Ad sepes pagi Duderhof (Kraschen. ex Gorter); ad vias et sepes Petrop., tum circa pagos in hortis oleraceis Manachtinae et Duderhofii (Sobol.);



in finetis et ruderatis (Weinm. 1824); ad domos ins. Basillii. (Turcz.)

1 *Blitum virgatum* L. In ipsa metropoli anno 1839 non parce (Baer!); an inquilinum? sed e Fennia australi (Hb. Baer) et Borussia orientali (Reichenb. Fl. Germ.) jam innotuit.

1. *Blitum bonus Henricus* C. A. Mey. *Murina* (Prescott ex Turcz.), unde forsitan spec. a me examinatum in Hb. Acad. pervenit; vidi quoque ex Esthonia (Hb. Baer).

4. *Beta maritima* L. In maritimis ins. Gelagin. (Mertens fl. ex Turcz.)

4. *Schoberia* (*Chenopodium* m. Linn.) *maritima* C. A. Mey. Passim in arena maris litorali irrigata (Laxmann ex Gorter 1764) a *Katherinbof* usque ad *Oranienbaum* (Sobol.); certo certius *Salsola Kali*, quae apud Sobol. desideratur et in locis indicatis crescit; etiam *Georgi* 1790 pro *S. Kali* habet, cui *Turczan.* 1825 quoque assentitur.

0. *Salsola Soda* in litore marino pr. *Oranienbaum* (Prescott ex Weinm. 1822) est i. q. *S. Kali* Fl. Petrop.

3. *Atriplex laciniata* L. *Ingria* (*Georgi* 1800). In Fennia solo auctore *Kalm*.

01. *Atriplex hastata* L. Schk. var. *farinosa* Mert. et Koch Fl. Deutsch. II. p. 313 ad litus marinum non salsum pr. *Peterhof*. (Hb. *Kühlew*.) In litoribus sinus Fennici *A. hastata* pro parte sub forma *A. Sackii* Fl. Sedin. obvenit, multo frequentior autem et in aqua salsa saepe tota submersa adest forma marina: foliis carnosus non farinosus nec lepidotis, quae plerumque typo humilior est et fructus minores interdum muricatos offert. *A. latifolia*  $\gamma$ . *salina* Kochi crescit in ins. Hochland.

0. *Atriplex angustifolia* Smith cum synn. *A. patula* Pollich et *A. virgata* Scop. In cultis et ruderatis pr. *Petrop.* (Weinm. 1824. pag 470); ad viam *Peterhofianam* et *Tsarskoe Selo*, ad pontem magnam in via *Pargolensi* et alibi (*Turczan.* s. n. *A. angustifoliae* Willd.). Ex synn. ad *A. patulam* Linn. Spec. pertineret, quae vero ibi et apud *Turczan.*

seorsum enumeratur; *A. hastata* L. et Schk. sive *A. latifolia* Wahlenb., quæ utrisque auctoribus Fl. Petrop. deest, ante annum 1837 pro *A. patula* habebatur, quod ita est, si legis: *A. patula* L. herb. et Smith.

1. *Atriplex litoralis* L. In ruderatis urbis Kronstadt nonnulla specc. ipse legi; cf. supra in gener.

3. *Cynanchum Vincetoxicum* Pers. Ingria (Georgi 1800).

4. *Gentiana campestris* L. In pratis per totam Ingriam Nowgorodium usque frequens (Gorter Fl. Ingr.; non Kraschen. qui in mss. *G. Amarellam* hoc loco recte indicavit); in pratis elevatis apricis Strelnae et alibi frequens (Sobol.); in campis siccis (Weinm. 1824). Sine dubio *G. Amarella*, cujus flores interdum majores quadrifidi, dentes calycis tubum corollae aequantes et inaequales sunt, ita, ut (tale spec. in Hb. Küblew.) non parum ad *G. chloraefoliam* N. E. accedat.

1. *Gentiana livonica* Eschscholtz ex Griseb. In elevatis siccis montis Duderhof copiosa, nec cum quadam *G. Amarella* mixta. *G. Amarella* in regione elevata Petrop. non rara in *G. pyramidalem* Willd. (Griseb.) sine ullis limitibus abit et subinde *G. obtusifoliam* Fries (in Hb. Cham.) exacte refert. Sed *G. livonica* ab his insigniter diversa et apud cl. Grisebach Gent. p. 241 bene descripta est, licet e principiis theoreticis qua species propria vix admittetur, quum *G. axillari* Rchb. Icon. f. 250 nimis affinis sit et alibi forsitan flores breve pedicellatos offerat. Addo, *G. Amarellam* hic initio Junii m. florere, dum *G. livonica* tunc nondum evoluta sub fine Aug. m. flores adhuc gerit. Caulis altior, strictior, inferne saltem simplex; folia superiora conspicue latiora et acutiora; flores pallidiores angustiores et paulo minores, semper longe pedicellati, articulos caulis subaequantes, in sicco saepe rugulosi; capsula subpedicellata; praecipue vero vitae modus *G. livonicam* a *G. Amarella* apud nos distinguunt, quamquam omnes characteres singulis modo specc. consideratis et singuli characteres in copia speciminum facile fallaces sint; tali modo individua nonnulla *G. Amarellae* etiam

pro *G. uliginosa* W. determinari possint, sed haec ipsa Petropoli prorsus deest. In Syn. Fl. Germ. Koch. edit. 2 p. 565 characteres capsularum *G. germanicae* et *G. Amarella* fortuito tantum inverse positos esse, moneo.

3. *Heracleum Sphondylium* L. In ins. Petri (Kraschen ex Gorter); Koirowa (Falk ex Gorter 1764); in montosis nemoribus et ubique in hortis (Sobol.). Sine dubio *H. sibiricum* illis ignotum.

4. *Heracleum austriacum* L. Ingria (Georgi 1800).

0. *Selinum sylvestre* L. Petrop. in sylvis inundatis paludosis (Boeber et Rudolph ex Georgi et Sobol.); prope Katherinhof (Sobol. 1801). Planta Linnaei sec. Fries est i. q. *Cnidium venosum* Koch, sed Sobol. etiam *Conioselinum* Petropoli usque ad anno 1825 ignotum vel formam *Peucedani palustris* ante oculos habuisse potuerat.

4. *Seseli annuum* L. Ingria (Kraschen. ex Gorter); in pratis siccis et ad margines sylvarum locis elevatis pr. montem Duderhof et Krasnoe Selo (Sobol. 1801). Cum cl. Weinmann 1824 et Ledeb. Fl. Ross. pro *Cnidio venoso* interpreter.

4. *Peucedanum officinale* L. Inter fl. Russiam et Sistam in sylvis (Kraschen. ex Gorter); ad margines sylvarum pr. Tsarskoe Selo et ad viam Wiburgensem ultra montem Polclonnaja (Sobol.) ad viam Wiburgensem (Weinm. 1824).

3. *Silaus pratensis* Besser s. *Peucedanum Silaus* L. In sylvis circa urbem Narwa (Kraschen. ex Gorter); Newa (Falk Beitr. II. 146); copiose in pratis et sylvis humidis circa fabricam pyriam Ochtensem, ad viam Wiburgensem, Peterhofianam, Tsarskoseliensem et alibi. (Sobol.)

2. (ext.) *Cervaria Rivini* Gärtn. s. *Athamanta Cervaria* L. In montosis pr. Jamburg (Sobol. ex Georgi et seorsum a Boebero).

0. *Angelica montana* Gaud. Petropoli frequentius quam *A. sylvestris*, in quam aperte transit, quod jam monuit cl. Avellemant in ind. sem. horti Petrop. 1843.

1. *Libanotis intermedia* \* sive *L. sibirica* Koch nec *Atha-*

maña sibirica Linn. quae fructus glabros et flores subtus rubros habet, qualem v. g. e Slatoust vidi. In umbrosis ad pedem montis Duderhof unicum specimen 4 pedale legit cl. Zobel. Vix illud effatum cl. Turczaninow intelligendum „species primaria (i. e. L. montana) rara, sed var. sibirica vulgaris“. Conf. Fries Nov. Mant. III. p. 22. Equidem auctumno invenire non potui, verum L. montanam copiosissime. Athamantam sibiricam L. ex Ingria indicat Georgi 1800.

4. Sison (Helosciadium) innundatum L. In aquis stagnantibus circa canalem Ladogensem (Kraschen. ex Gorter); Nowa (Falk Beitr. II. 147); in ripa parvae Newae saepe innundata ex adverso insulae Basilii, tum Katherinhofii et alibi (Sobol.). E verbis Krascheninnikowii satis elucet Sium latifolium, ad annum 1824 usque Petropoli ignotum. Fl. Dan. t. 89 a Sobolewskio citata verum Sison innundatum repraesentat et evidenter probat, descriptiones, synonyma et figuras in ejus Fl. Petrop. adatas saepe nihili habendas esse.

2. Daucus Carota L. In sylvis circa urbem Narwa frequens (Kraschen. ex Gorter); in fruticetis pr. Jamburg et Gatschina (Weinm. 1824). Ind. quoque e Dorpat.

3. Aethusa cynapioides. M. B. In fruticetis humidiusculis prope Slavienkam (Weinm. 1824).

1. Chaerophyllum aromaticum L. Inter Woroneschskaja et Nowa Buria ad marginem sylvae (Kraschen. ex Gorter); ipse in loco priori Kraschen. nempe circa pagum Woronina circuli Oranienbaumensis, ubi vulgatissimum videtur, legi. Exstat etiam in Hb. Petrop. Kastalskiano, sed sine loco speciali. Dorpati (Weinm. 1810).

1. Myrrhis odorata Scop. In umbrosis pr. Pargola raram, sed apparenter spontaneam obs. cl. Horaninow!. Stat. prox. Lithuania, Gothlandia; Holmiae vero pro aufuga habetur (cf. tamen Lindbl. Not. 1844 n. 3), in Sudetis pro spontanea; plantae vero plures cum Sudetis communes nobis sunt v. g. Conioselinum, Carex vaginata, Rubus Chamaemorus, cur non Myrrhis?

0. Pimpinella nigra W. et Roth indicatur a cl. Weinm. 1824

et 1837 sub varr. *P. Saxifragae*; auctores recentiores exinde speciem fecere; etiam Kraschen. sub *P. Saxifraga* dicit „incolae radicibus utuntur ad saporem aromaticum et colorem coeruleum spiritui frumenti destillando conciliandum“ hinc forsitan *P. nigram* W. et Koch Syn. edit. 2. p. 446 partim designavit, sed plantam cum descriptione Kochii l. c. congruentem nondum vidi; omnes pedunculos glabros exhibuerunt et inter *P. Saxifragam* mixtim specimina aderant, quorum radix persecta succum mox coeruleo coloratum fundebat.

2. (ext.) *Sambucus racemosa* L. Ingria (Georgi 1800). Ind. ad fl. et confluvios Wjatkae (Falk).

1. (ext.) *Acorus Calamus* L. Prope urbem Gdow, unde ad cl. Weinmann missus. Dorpati (Weinm. 1810).

2. *Scilla sibirica* Andr. Petropoli, an superstes ex horto? (Libosch. et Trin. 1818), sed etiam Mosquae, ubi spontanea creditur, semper in hortorum graminosis crescit.

3. *Allium vineale* L. Ingria (Georgi 1800).

3. *Juncus glaucus* Ehrh. In pascuis humidis prope Oranienbaum (Weinm. 1824).

01. *Juncus lamprocarpos* Ehrh. var. *acutiflora*: segmenta offert etiam interna perianthii acuta, et videtur *J. acutiflorus* Fl. Petropol. (vix Ehrh!).

3. *Juncus obtusiflorus* Ehrh. Petropoli (Turcz.): in paludosis spongiosis vulgaris (Weinm. 1824).

01. *Luzula* (campestris) *multiflora* Lej. Petropoli multo frequentior quam *L. campestris*. Cum cel. Fries *L. multifloram* tantum pro forma pedunculis plurifloris semper strictis et radice (non semper) stolonibus destituto sumerem; antherarum enim et filamentorum longitudinem mutuam nimis variabilem inveni. Multo constantior apud nos *L. pallescens* Wahlenb. et facile species propria. *L. congesta* Willd. Enum. Suppl. a cl. Weinm. 1824 indicata est verisimile *L. campestris*  $\gamma$ . Kunth Syn, hanc nondum vidi.

1. (ext.) *Triglochin maritimum* L. In litore sinus Fennici pr. Dolgoi Noss circuli Oranienbaum.

4. *Oxyria digyna* Campd. Ad fl. Newa (Georgi 1800).

01. *Rumex Acetosa*  $\gamma$ . *fissus* Koch Syn. Petropoli ad margines agrorum v. g. Pargolae. (Herb. Kühlew.)

1. *Rumex Hydrolapathum* Huds. Koch Syn. Ad Ligowkani (Hb. Kühlew.), nec non margines aquarum stagnantium prope Lembalowa.

0. *Rumex acutus* L. Locis succulentis e latere Wiburgensi (Gorter, nec Kraschen.); in pratis humidis et in hortis passim (Sobol.); in humidis et ruderalis. (Weinm. 1824; Turczan.) Lites de hac specie aptissime delenda satis notae.

01. *Vaccinium (uliginosum) splendens* \* Petropoli (M. Bieberst. in Hb. Acad.); etiam e gubernio Kostroma vidi. Analogia V. intermedii Ruthe, sed *Idaeo-uliginosum*? Differt a V. uliginoso: foliis majoribus, junioribus jam coriaceis. supra et subtus lucidis; a V. *Vitis Idaea* foliis integerrimis, subtus non punctatis et floribus solitariis binisve.

01. *Oxycoccus microcarpus* Turcz! in sched. 1833 (*O. palustris*  $\beta$ . *pusillus* Dunal in Dec. Prodr?). In sphagnosis v. g. pr. Ochtam et Lachtam cum typo mixtini crescit, at in diversis caespitibus transitus nullos offerentibus. Caudiculi tenuiores; folia minora; pedunculi glaberrimi; sepala margine non ciliata; flores praecociore; baccae minores (2 — 2½ lin. in typo 3½ — 5 lin.) et semina duplo minora (½ lin.). Subspecies saltem memorabilis haec etiam in Lapponia rossica, reg. transbaicalensibus, Unalashka et Sitcha crescit

4. *Acer tataricum* L. In sylvis et insulis Newae fl. rarius. (Rudolph ex Georgi et Sobol.) Saltem vix spontaneum.

1. *Oenothera biennis* L. In sylva insulae crucis loco, ab omni cultura soli remoto unicum modo specimen invenit cl. Zobel. Loci prox. ind.: Helsingfors, Holmhof et Dorpat.

01. *Epilobium montanum* var. *collinum* Gmel. Petropoli passim. Adest praeterea grandiflorum: floribus 5 lin. longis et pusillum: lineis elevatis 2 — 4 in inferiore caulis parte instructum.

2. *Epilobium tetragonum* L. In montibus Duderhofianis. (Turcz.) Ind. in prov. balt.

2. *Epilobium parviflorum* Schreb. Petropoli (Rudolph ex Georgi); in monte Pulcowa et Manachtinae locis elevatis siccioribus (Sobol.); in subhumidis (Weinm. 1824).

1. *Elatine spathulata* Gorski in Eichw. Petropoli (Hb. Acad.); ad viam Peterhofianam (Hb. Graewenitz); ad ripas Newae parvae in ins. Petri parce, copiosior ad portum triremium ubi cum *E. gyrosperma* mixtim provenit (Kühlewein!); in aqua stagnante pr. Lembalowa copiosissima et submersa. Praeter semina leviter tantum arcuata etiam sepalis margine utroque dentatis et habitu plerumque robustiore foliisque (superioribus saltem) sessilibus ab *E. Hydropipere* L. et Auct. (*E. gyrosperma* Düben) hic aequae frequente tuto dignoscenda. Cl. Gorski semina quidem in descr. l. c. neglexit, reliqua tamen verba (exceptis forsitan floribus flavescentibus) optime nostram exprimunt; sine dubio saltem *E. orthosperma* Düben 1839 et contra opinionem cell. auctorum rata species.

1. *Elatine triandra* Schk. In limite lacus Ladogae et Newae fluvii extra aquam in terra limosa.

01. *Ledum* (palustre) dilatatum Wahlenb. Fl. Lapp. Copiosissime juxta viam ab Oranienbaum ad Krasnaja Gorka ducentem locis incendio sylvae olim deustis. Primo aspectu singulare, plerumque tantum pedale, foliis inferioribus latis et subtus tomento fere destitutis; tamen e typo solum transformatum videtur et locis similibus urbi propioribus sterile obveniens oculos minus ferit.

01. *Monotropa glabra* Bernh. Kempelowo, inter Petropolim et Jamburg (Hb. Graewenitz); in monte Duderhof sub arboribus acerosis (ipse). *M. Hypopytis* Auct. s. *hirsuta* Roth provenit v. g. pr. Lembalowam, Lisinam, praesertim vero in monte Poclonnaja et locis vicinis copiose (Hb. Graff, Graewenitz, Kühlewein, Cienkowsky, Smirnow). Transitus amborum nondum hic invenire potui.

2. (ext.) *Sempervivum tectorum* L. Ad ostium Pristanno rivuli in fl. Lugam cadentis ad radicem collis copiose (Kraschen. ex Gorter). An species diversa propter habitaculum? sed syn. et diagnosis quadrant. Dorpat (Weinm. 1810).

1. *Saxifraga Hirculus* L. Prope Oranienbaum et Schlüsselburg (Georgi); in pratis humidis sylv. ad Krasnoi Kabak, item in paludosis circa Katherinhof passim (Laxmann ex Gorter 1764), et prope Ligowam (Sobol.); pr. Antelewa parce (Prescott ex Turcz.). Vidi spec. Petropolitana verisimiliter Prescottiana in Hb. Acad.

2. (ext.) *Saxifraga granulata* L. Narwa (Weinm. 1837); Dorpat et Esthonia media (Hb. Baer).

2. (ext.) *Cucubalus baccifer* L. Paulo supra ostium Rossonae, fl. Lugam cum Narowa jungentis et versus ostium fl. Lugae in salicetis frequens (Krasch. ex Gorter); Petropoli (Falk Beitr. II. 179). Livonia pr. Riga (Hb. Zobel).

4. *Dianthus plumarius* L. Circa ostium Narowae fl. una cum *Pyrola umbellata* (Gorter; nec Kraschen. qui in mss. D. superbum loco illius intellexit); in litore arenoso maris inter Peterhof et Oranienbaum (Sobol.); in arenosis e latere opposito villarum ad viam Pargolensem dextra manu ad montem Poclonnaja (Turcz. — hoc loco D. arenarius crescit!).

1. *Stellaria Frieseana* Seringe in Decand. (lusus 3 Fenzl in Ledeb. Fl. Ross. frequentissimus.) Petropoli (Weinm. et Meyer ex Ledeb. 1842) v. g. in ins. Krestowsky (Rochel ex Reichenb. 1841; cl. Kühlewein ibi lusum 2m. Fenzlii legit); in regione Wiburgensi, Lisina, Schlüsselburg et alibi, praesertim in nemoribus, ad truncos arborum emortuos.

01. *Stellaria graminea* L.  $\gamma$ . *eciliata* Fenzl mss. (*St. graminea* var. *gracilis* Weinm. Fl. Petrop!) „Recedit a varietatibus  $\alpha$  et  $\beta$ . in Fl. Ross. Ledebourii praecipue bracteolis et sepalis omnino eciliatis. Diagnosis *St. gramineae* l. c. ob hanc novam var. paululum mutanda et character differentialis a *St. glauca* potissimum ad semina restringendus“ Fenzl in litt. Haec var. *St. gramineae* in graminosis humidis Petropoli communissima est.

02. *Stellaria Dilleniana* Monch. Petropoli (Georgi; Longmire); in pratis humidis sylvosis (Sobol.); Murina et Pargola (Sobol. 1801); in nemoribus humidis pr. Pawlowsk (Weinm. 1824).



1. *Stellaria crassifolia* Ehrh! 1784. Petropoli (Rudolph ex Georgi): ad rivulum Karpowka pr. hortum apothecarium (Rudolph in Hb. Acad.); In monte Pulcowo et in sylvis circa Petrop. rarius (Sobol.); Poclonnaja Gora (Sobol. 1801); in paludosis montis Duderhof (Weinm. 1824); rarissime pr. montem Duderhof (Prescott ex Turcz.); alibi frequens. copiosissime vero ad aquaeductum Teitzensem. Plerumque sub forma  $\beta$ . *oblongifolia* Fenzl. in Ledeb. Fl. Ross. Sec. cel. Fenzl huc pertinent *St. brevifolia* Schum. 1803 et Weinm. Fl. Petr. 1837; sed *St. brevifolia* affn est forma salina in Hb. norm. Suec. exhibita et dubito, quod hic proveniat. *St. helodes* M. Bieberst. e Petropoli seorsum explicatur apud cl. Reichenb. Icon. XV. fig. 4999. b.

3. *Stellaria dichotoma* L. Circa Petrop. (Weinm. 1824) Stationes Mosquenses et Kasanienses summopere dubiae. (Fenzl ap. Ledeb.)

1. *Moehringia lateriflora* Fenzl. In vicinitate urbis pr. Li-gowkam in graminosis satis copiose crescentem detex cl. Kühlewein. Stationes hactenus proximae: Archangelsk et Kasan. Nunc quoque credibile, circa Petropolin inventum iri *Cinnam suaveolentem* (Blyttiam suav. Fries Mant. II.), e Norvegia et reg. baicalensi jam notam et nuperrime etiam pr. Kasan detectam; ab hac vero differt paulo genuina *Cinna* (*Mühlenbergia*) *pendula* Trin. in Bong. Fl. Sitch. spiculis magis condensatis, seta flosculorum valde minuta et valvula superiori inferiorem subaequante.

2. *Cerastium semidecandrum* L., cujus specimen Petropo-litanum vidit cel. Fenzl (Ledeb. Fl. Ross.), indicatur: ad ductus aquarum ins. Basilii copiose ut etiam in tota Ingria (Krasch ex Gorter; sed in mss. synonyma *C. viscosi*, semi-decandri et vulgati confusa et verisimile *C. vulgatum* habuit uti sequentes); Petropoli (Falk Beitr. II. 182); in ins. apo-thecaria, Basilii et ubique ad ductus aquarum nec non in pratis copiose (Sobol.); in campis sterilibus satis frequens (Weinm. 1824). Secundum Fenzl et Koch e synn. huc refe-

rendum esset *C. viscidum* Link s. *C. viscosum* Pers. in pratis humidioribus et ad margines viarum (Weinm. 1824).

2. *Cerastium glutinosum* Fries (*C. pumilum* Curt. Koch). Specimen e Flora Petrop. vidit cl. Fenzl (Ledeb. Fl. Ross.). A cl. Koch et Fries 1843 pro distincta specie habetur

2. *Cerastium glomeratum* Thuill. (*C. viscosum* L. spec.) Petropoli (Boeber ex Georgi); rarius ad agrorum limites et vias, uti pr. Ligovo et Goreloi Kabak. (Sobol.) Ind. in Fennia, Lithuania et Mosquae.

4. *Spergula laricina* Fl. Dan. t. 858 (quae sec. Reichenb. *Sagina subulata* Wimm.). In pratis humidis argillosis duris, uti pr. Ligovo, Goreloi Kabak et in urbe circa nosocomium terrestre et maritimum. (Sobol.) *Spergula glandulosa*?

01. *Spergula arvensis* L.  $\alpha$ . *sativa* Böningh. Petropoli (Bongard in Hb. Acad.); etiam forma pentandra (non vero *S. pentandra* L.) in arenosis maritimis pr. Peterhof adest.

4. *Silene acaulis* L. Unicum exemplar possideo in Ingria lectum, locum tamen ubi inveni, non memini (Kraschenin. ex Gorter); in summitate montis Duderholfii et circa Krasnoe Selo. (Sobol.)

3. *Silene viscosa* Pers. Nawa (Falk Beitr. II. 179); Ingria (Georgi 1800).

4. *Silene viridiflora* L. Ingria (Georgi 1800).

1. *Sedum Fabaria* Koch. Prata nemorosa ad rivulum Tschornaja e regione Wiburgensi (ipse a. 1839); Kablovka pr. Pargola in pratis et pr. Manachtina (Kühlewein!); Oranienbaum (Horaninow!). Cum diagnosi cl. Koch bene convenit, contradicit tamen tempus florendi, etenim in Germania „sub finem Junii florere incipit et  $1\frac{1}{2}$  mense prius quam *S. maximum*“; sed apud nos *S. Fabaria* versus finem Augusti m. (calend. recent.) floret, dum *S. Telephium* mense integro saltem prius in rupibus Fenniae australis flores expandit. Dissensus hic forsitan pendet ex *S. Telephio* Upsaliensi, quod cl. Koch pro *S. maximo* interpretatur; cf. seq.

0 *Sedum Telephium* L. Suec. In pratis circa Catharinhof (Krasch.) et Tschornaja Retschka (Gorter; utrumque ve-

risimiliter *S. Fabaria* propter locum et syn. Bauh: *Anacampse-ros purpurea*); in montosis Pargelowii, Manachtinae et montis Pulcovo, aliisque locis siccis arenosis (Sobol.); in siccis arenosis (Weinm. 1824); in montibus Poclonnaja et Pulcovo, in agris pr. Murina et alibi (Turcz.); Petropoli multo rarius quam in Fennia australi v. g. in agris pr. Manachtina medio Aug. jam. deflorata (Kühlew! et in pratis ins. Kronstadt. Nostra species sine dubio est *S. Telephium*  $\alpha$  Linne, minime enim diversa a *Fennica* e locis Upsaliae proximis. Haec vero jam medio Julio (calend. exterorum) florere incipit, filamenta gerit ad  $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{3}$  longit. petalorum in sicco saepe rubromaculorum connata et tubera ni fallor semper napiformia, nec fusiformia uti *S. maximum*.

2. (ext.) *Crataegus Oxyacantha* L. Ad fl. Luga (Georgi et Sobol.)

2. (ext.) *Cotoneaster vulgaris* Lindl. Narwa. (Germann; Weinm.)

1. *Spiraea Filipendula* L. In pratis ad fl. Luga (Georgi et Sobol.); pr. Manachtinam unico quidem loco sed copiosam det. cl. Kühlewein. In Fennia c. Aboam.

1. *Fragaria elatior* Ehrh. In graminosis hortorum ad viam Wiburgensem (Hb. Weisse); ad portam Mosquensem (Hb. Karpinsky); in umbrosis montis Duderhof et in graminosis humidis subumbrosis aquaeductus Teitzensis spontanea.

4. *Potentilla aurea* L. Prope Goreloi Kabak cum *Primula farinosa*. (Turcz.) Sine dubio sequens.

1. *Potentilla salisburgensis* Hänke. In graminosis ad montem Duderhof exeunte Majo m. florere incipit. Hanc plantam, praeunte forsitan solo cl. Wahlberg pro genuina *P. verna* Linnaei statuo; probatur hoc evidentissime ipsis Linnaei verbis (Fl. Suec. edit. II.): radix inferne latis squamis ferrugineis vestita!; caules multi decumbentes, non repentes, ascendentes, purpurascens!; stipulae latae! — probatur etiam locis natalibus „in alpihus Lapponiae et Helvetiae vulgaris“; porro „in Europae pascuis siccis frigidioribus“; praeterea synonymo Fl. Lapponicae, ubi nulla *P. verna* Fl. Germ.

adest, sed *P. salisburgensis*, quae etiam (nec illa) circa Upsaliam crescit; Linnaeus insuper in descriptione *P. verna* suae (excipienda synonymia apud illum raro pura) ne verbum quidem adjecit, quod confusionem cum *P. verna* germanica probabilem reddit; haec planta imo Linnaeo ignota fuisse videtur, nisi cum *P. opaca* commiscuerat et sec. cl. Lehmann dicenda: *P. minor* Gilib. Suppl. syst. plant. Europ. p. 362. Ad hanc spectat: *P. verna* Fl. Petrop. teste cit. Sturm Fl. Germ. prope Gatschinam et Koirowam in pascuis elevatis siccis (Weinm. 1824. 1836. 1837); sed moneo, me tantum unicum specimen Petropolitanum hujus plantae a b. Nippa olim lectum (in Hb. Kühlew.) vidisse.

1. *Potentilla elongata* Goldbachii\*, in umbrosis colliculosis Mosquae non rara et m. Majo florens, teste spec. spont. auctoris a. 1820 ad M. Bieberstein missi; Petropoli rara quidem, sed certe indigena est, ab. Kastalsky et recentius a cl. Karpinsky inventa. Infauste exinde facta est *P. intermedia*  $\gamma$ . *elongata* Seringe in Decand. Prod. II (1825) p. 577; ejus *P. intermedia* enim, ut et Fl. Helv. est *P. Nestleriana*; neque cum *P. canescente* Besser confundenda est. Quoad habitum proxima *P. inclinata* Vill. t. 45, sed recedit statura majore, pubescentia, pedunculis longioribus et fide speciminis culti, a b. Goldbach a. 1820 distributi: carpidiis laevibus. Formis etiam minoribus, paucifloris et microphyllis *P. intermediae* Fl. Petrop. (Goldbachio tunc temporis bene notae) similis est, sed inter alia differt: petalis 3 lineas longis calycem distincte excedentibus, pubescentia etiam in superioribus plantae partibus divaricata nec erecto-patula aut adpressa, stipulis semper integerrimis et praecipue habitu gracili. Typus divisionis foliorum oppositus illi *P. intermediae*; folia nimirum fere semper quinata, at septenata quoque (ut in *P. canescente* Bess.) inveniri possunt, saepe saltem serratura in foliolis infimis utriusque lateris profundius tendit; nusquam vero foliolum intermedium irregulariter fissum aut pinnatifidum, uti solito in *P. intermedia* conspicitur. Veram potius affinitatem in *P. verna* = *salisburgensi* quaererem, quam et squa-

mae basilares indicant. In Herb. M. Bieberstein adest sub nomine *P. incisae* Desf. neque descriptio apud Nestler et Lehmann impedit, quominus synonymon esse possit.

3. *Potentilla inclinata* Vill. Petropoli (Blum ex Ledeb. Fl. Ross. qui spec. examinavit); forsitan *P. Goldbachii* praece-dens. De conjunctione solenni *P. canescentis* Besser, cujus spec. auth. spontaneum a. 1815 ad M. Bieberst. missum vidi, dubia restant; potissimum foliis caulinis 6 ab icone Villarsii diversa.

4. *Potentilla patula* W. Kit. Elisabethengrund pr. Petrop. (Koch Fl. Deutsch. III p. 527. Ledeb. Fl. Ross.) Cederem legendum potius esse Elisabethgorod (in Ross. aust.), unde plerumque spec. in herb. adsunt pro *P. patula* sumpta et apud Koch l. c. optime descripta; horum vero foliola longiora et angustiora sunt, quam in *P. minore* s. *verna* Auct., ideoque a planta apud Waldst. et Kit. depicta evidenter recedunt.

1. *Potentilla intermedia* Linné Mant. excl. synn. et patria. (Fries Hb. norm. Suec.) In siccis, graminosis, ruderatis et ad vias fere ubique, m. Julio et Aug. Proxima sine dubio et intermedia *P. argenteae* et *P. ruthenicae*, quacum passim promiscue crescit, sed transitus numquam adhuc observare potui. Inter *Potentillas* acephalas et multicipites (vide Koch Syn. p. 235) vix stricti limites adsunt, cum *P. norvegica* (saltem *P. ruthenica*) subinde caulibus 2 florentibus et rosulis nonnullis foliorum instructa sit. *P. intermedia* species est admodum polymorpha, ita, ut vix varietates discernas; ludit enim foliis tenuioribus et firmioribus, majoribus et minoribus, glabrioribus, subtus pubescenti-sericeis vel imo incano-tomentosis; foliolo intermedio indiviso vel pinnatifido; etiam laciniosa: serraturis profundioribus, hinc inde ad nervum medium usque progredientibus; stipulis semipectinato-incisis. Inter has formas vix limites poni possunt; memorabilior, sed ut puto per transitus conjuncta est sequens:

01. *Potentilla* (intermedia) composita \*. Foliolum intermedium foliorum radicalium et caulinarum interdum uno latere

vel utroque profundius incisum vel pinnatifidum ut in *P. intermedia*, quae raro tam humilis (vix ultra 6 poll.) et caule herbaceo-viridi, tenui, basi vix lineam crasso occurrit. In reliquis vero a formis rosulatis *P. intermediae* communibus non parum distat; folia enim rosularum petiolis plerumque 3 poll. fulta non solum quinato-digitata, sed et quaternata vel imo ternata: foliolum intermedium variae magnitudinis (maximum pollicem longum) petiolo partiali 3 — 4 (rarius 2 et 1) lineas longo insidet; proxima duo brevius petiolata, extima sessilia; folia ceterum obscure viridia, subtus quidpiam opaca: utrinque pubescentia, oculo nudo tamen subglabra apparent, serraturae foliorum late ovalium paucae, nec profundae. In regione urbis Wiburgensi plura specc. leg. cl. Graff.

1. *Potentilla supina* L. Kronstadt (Prescott ex Turcz.): ibidem in ruderatis a. 1844 non raram conspexi; in alio etiam loco Fl. Petrop. specimen sesquipollicare inv. cel. Horaninow. Stat. prox. Mosqua.

2. *Potentilla reptans* L. Cum *Potentilla argentea* ad ductus aquarum non infrequens (Krasch. ex Gorter) v. g. ad viam Peterhofianam (Sobol.); in locis apricis et ad vias copiose (Weinm. 1824).

1. (auf?) *Geum macrophyllum* Willd. Petropoli, an hortis aufuga? (Fischer et Trautvetter in Ind. sem. hort. Imp. 1836); Pargolae locis duobus in fossis ad vias parce, sed quasi sponte annis 1840 et 1843 (Kühlew! Horan.); in regione Wiburgensi (Hb. Graff).

1. *Geum strictum* Ait. Petropoli (Mertens fil. ex Koch 1831): nunc minime rarum, tum locis urbi proximis ad vias, fossas et rudera, tum remotioribus v. g. Oranienbaum (Hb. Köhl.), Lisina (Hb. Graff). Ex synonymo Besseri et Mert. Kochii huc referendum esset *G. hispidum* Fries, ab ipso cel. auctore c. Petropolim indicatum (1841), nisi planta authentica minor esset, 1 — 2 flora, folia etiam minora et lobos obtusiores exhiberet.

1. *Geum intermedium* Ehrh! Petropoli (Turcz. 1824. Hb. Kühlew.); v. g. ad viam Peterhofianam (Horaninow!).

1. *Rosa acicularis* Lindl. sub forma *hypoleuca*\* obveniens differt a planta Fl. Samojed. n. 102 foliis minoribus, subtus eximie glaucescentibus, fere albidis, aculeis tenuioribus. In circulo Oranienbaumensi pr. Werchne Ruditza s. Lapuchinka ad margines sylvae detexit cl. Meinshausen; frutices ibi circ. 20 ipse vidi, sed unico tantum loco. Forma alia (*vialis*\*) discolor quidem, sed non *hypoleuca*, magis condensata et foliosa secus vias publicas circa lacum Ladoga v. g. inter Kexholm et Kronoborg, nec non pr. Ruskiala ad septemtriones tendit.

0. *Rosa spinosissima*, quo titulo Linnaeus initio praecipue plantam Suecicam et Lapponicam = *R. cinnamomeam* hodiernam sive majalem intellexit, mox vero cum *R. pimpinellifolia* commiscebat, indicata fuit: in ins. apothecaria et alibi in Ingria (Krasch. ex Gorter); in montosis et apricis sylvestribus ut in monte Duderhof et Pargelovii (Sobol. sed diagnosis ejus ex libro quodam transcripta et icon citata ad *R. pimpinellifoliam* L. Petropoli numquam inventam spectat).

1. *Rosa cinnamomea* L. (*R. majalis* Herm.) Petropoli (Turcz.); in fruticetis siccioribus fere ubique! (Weimm. 1824). Haec est *R. spinosissima* Krasch. et Sobol. sec. M. Bieberstein 1819 (vide supra). *R. canina* α. *vulgaris* Koch Syn. antecedente rarior, anno 1799 primum indicata crescit v. g. ad montem Duderhof, in reg. Wiburgensi, pr. Pargolam et Woroninam. *R. cinnamomea* hic variat fructibus basi quidpiam productis (*R. turbinella* Swartz) et maturis plerumque nutantibus.

1. (auf?) *Rosa glabrifolia* C. A. Meyer Fl. Gub. Wjatka mss. In hortis frequenter colitur, sed fruticulos plures apparenter feros invenit cl. Kühlewein, specimen quoque (spontaneum?) foliis solito latioribus in Hb. Baer vidi. Ulterius igitur indaganda; a *R. cinnamomea* omnino proxima constanter differt foliis subtus glaberrimis; serratura foliolorum forsitan alia et rami fere semper apice 2 — 3 flori, quod rarius in *R. cinnamomea* nostra.

1. *Rubus caesius* L. Circa Kempelowo inter Petrop. et Jamburg non rarus videtur sub forma agresti Arrhen. simillima (L. B. Graewenitz!). Indic. in Livonia et Fennia aust. maritima.

1. *Rubus suberectus* Anderson sec. expositionem Arrhenii et Friesii (Hb. norm. Suec. exacte). In arenosis apricis ad montem Poclonnaja ubi vivam et copiosam perscrutatus sum; etiam in siccis ad vias pr. Pargolam, Manachtinam, viam Peterhofianam, Kempelowam et Lisinam provenire videtur. Cell. Kochio et Ledebourio *R. corylifolius* esset, sed non Arrhenio.

1. *Rubus subinermis*\* In memoribus et sylvis frondosis inter stationes Dranischnisowa, Bielowstrowskaja et Lemballowa sitis non raro. A *R. suberecto*, in cujus vicinitate interdum crescit differt: statione, caule fertili et sterili usque ad apicem semper erecto (nec inclinato, recurvato), multo minus lignoso, tenuiori, pallide virescente (non rubro suffuso); foliis subglabris et subtus vernicoso-nitentibus: caulium fertilem semper ternatis (numquam quinato-digitatis, quod saepe in *R. suberecto*) multo tenuioribus: caulium sterilium quidem rigidioribus sed vix ita ut *R. suberecti*. Aculei pauci in tota planta, debiles, minuti, in petiolis vix ulli, in surculis sterilibus validiores. Caulis basin versus teres, superne angulatus. Fructus maturi adhuc ignoti. Surculi steriles, interdum 4 pedales, folia gerunt quinato-digitata, rarissime pinnato-digitata, foliola lateralialia profunde lobata, omnia subtus sparse pubescenti-pilosa vel subglabra et nitentia. An *R. suberectus*  $\beta$ . mitis Arrhenii? sed nostrum ob tot differentias notabiles et constantes (in monogr. Arrhenii non allatas) qua var. illius considerari non posse, palam est. Ob habitum herbaceum et tenuitatem foliorum insignem *R. nemoroso* Hb. norm. Suec. VI similis est, sed ex Arrhenio et Friesio in Nov. Mant. III surculi steriles hujus prostrati, flagelliformes et caesio-pruinosi sunt ut in *R. caesio*, quocum caules fertiles nostri in Herbb. commisceri possunt, sed deest in *R. subinermi* caulis pruinosus seticulosus.

1. *Papaver dubium* L. cum *Viola arvensis* crescens circa Petropolim det. cl. Horaninow. Specimina visa pygmaea (3 poll.), foliis simpliciter pinnatifidis, petalis 3 — 4 lin. longis. An huc locus *P. somniferi* ex Sobol. inter segetes dispersi?



2. *Helianthemum vulgare* Gärtn. Koirowa (Gorter 1764); in collibus circa Gatschinam ad margines sylvae. (Sobol.) Crescit in prov. balt. ross. frequens, nec non in Fennia australi! et media: Tavastiae paroecia Janakala (*α.* Koch Syn!).

01. *Ranunculus polyanthemos β. glaber* Wimm. et Grab. In monte Duderhof cum typo et *R. acri*.

01. *Ranunculus (auricomus) obesus\** In hortis oleraceis circa urbem, finem Maji m. versus florens. Discedit a proximo *R. auric. pinguiori* Reichb. Icon. foliis radicalibus longe petiolatis, caulinis integerrimis, pedunculis (contra diagnosin optimorum auctorum) in vivo evidentissime angulato-sulcatis et rostro (semper?) recto.

01. *Ranunculus (cassubicus) fallax* Wimm. et Grab. In graminosis umbrosis humidis frequentior quam typus (*α.* plebejus Fries. eodem saepe loco crescens. Potius ad *R. cassubicum* quam ad *R. auricomum* (si hos e rostro carpidorum distinguere placet) pertinet, quod folia radicalia indivisa magna et caulina semper inciso-dentata probant; sed vaginae radicales aphyllae (contra cell. Koch et Wimmer) characterem nequaquam constantem *R. cassubici* praebent, nam in hac varietate semper desunt; ceterum *R. auricomus* mixtus saepe cum var. incisifolia Reichb. invenitur; alibi vero individua habitu *R. auricomi vulgaris* vaginae basilariibus aphyllis instructa sunt, ita, ut solus character e rostro fructuum restet, qui ad species bonas stabiliendas mihi saltem insufficiens et ne satis constans quidem videtur. Jam dudum cel. Schlechtendal ambos conjunxit.

2 (ext.) *Ranunculus bulbosus* L. Jamburg. (Georgi et Sobol.)

2. (ext.) *Ranunculus arvensis* L. Jamburg. (Georgi et Sobol.)

1. *Thalictrum aquilegifolium* L. In ripa umbrosa Newae fl. prope Katharinhof unicum specimen, etiam ad fl. Wolchow cum *Aconito* sed parce (Kraschen. ex Gorter); in sylvis umbrosis ad viam Pargolensem et pr. Murzincam (Sobol.); Ulianka ad viam Peterhofianam a. 1833 (Hb. Graewenitz); inter montem Duderhof et Pulcowa (Zobell!); Lisina (Graff!);

Oranienbaum (Hb. Weinm.); ipse tantum semel in sylvis pr. Kalamäki.

4. *Trollius asiaticus* L. Petropoli. (Sprengel ex Weinm. 1822)

2. (ext.) *Pulsatilla vernalis* Mill. Narwa (Georgi et Sobol.); statio propior, sed extra gubernium Petrop. est: Walkjärvi in Karelia, unde specc. cl. Appelberg in Hb. Soc. Fl. Fennicae vidi.

2. (ext.) *Pulsatilla vulgaris* Mill. Ad ostium Narowae fl. in pineto locis aridis copiose (Kraschen. ex Gorter) Ind. pr. Dorpat.

01. *Scutellaria (galericulata) pubescens* Benth. Lab. Petropoli frequentior quam typus calyce glabro, in quem transire videtur. Ludit fl. albis.

4. *Ajuga pyramidalis* L. Inter gramina horti Imp. aestivi spontanea. (Sobol.) Sine dubio *A. reptans* L. et Fries usque ad urbem Archangelsk fere adscendens, Petropoli rarior.

1. (in q?) *Dracocephalum thymiflorum* L. Arx Petropolitana! ubi anno 1832 unicum specimen inv. excell. B. Graewenitz. Etiam in gubernio Wjatka et Mosquensi provenit.

0. *Mentha gentilis* L. In ipsa urbe ad fossas et sepes hortorum, nec non pr. Strelna alibique spontanea (Sobol.); in parte urbis Mosquensi (Sobol. 1802); pr. coemeterium Smolensk. (Weinm. 1824, Prescott ex Turcz.) Teste cl. Bentham nil nisi forma *M. arvensis* polymorphae; hujus varr. sequentes adsunt:  $\alpha$ . *sativa* Benth. forma bracteosa, bracteis cymam duplo superantibus, caule flaccido, elongato, flexuoso = *M. parietariaefolia* Becker in Reichenb. Icon. f. 1301, sed pedicelli in nostra hirsuti. —  $\gamma$ . nisi  $\eta$ . Benth. huc aptissime planta Sobol. quoad cit. Fl. Dan. t. 736 —  $\epsilon$ . Benth. 3 — 4 pollicaris, an *M. pumila* Host?

2. *Mentha aquatica* L. In locis humidioribus passim (Kraschen. ex Gorter); in marginibus humidis sylvarum Catherinhofii et alibi (Sobol. cum var. ramosissima); in ins. Newae fl. (Sobol. 1802.)

1. *Mentha (sylvestris) mollissima* Sobol. 1799 cum cit.

Fl. Dan. t. 484. In hortis oleraceis pr. Petropolim, in Jemskaja et in vico Strelna spontanea (Sobol.); pr. Pulcowa in agris Solano tuberoso consitis anno 1843, aderat etiam specimen Dracocephali sibirici (Kühlewein!). Eadem est *M. sylvestris*  $\epsilon$ . *nemorosa* Benth. Lab.

3. *Marrubium vulgare* L. Petropoli. (Benth. Lab.) Index Upsala et Livonia aust.

2? 1. *Ballota nigra* L. Ingria (Georgi 1800); Petropoli (Benth. Lab.); specimen adest in Hb. Baer.

3. *Stachys annua* L. Petropoli (Rudolph ex Georgi); in asperis, siccis, montanis circa Krasnoe Selo et in arvis circa montem Duderhof. (Sobol.)

3. *Stachys arvensis* L. Petropoli (Rudolph ex Georgi); in arvis Manachtinae et circa Ligovam sed parce. (Sobol.) Haec uti praecedens nec in Fennia, neque in prov. balt. certe inventa

1. *Stachys alpina* L. Memorabilis hujus plantae, Upsaliae tempore Celsii repertae, nunc vero in Suecia forsitan emortuae, testes jam diu quidem circa Nowo-Iwanowsky ad Tosnam legit cl. Weinmann, sed pro hac specie inopinata modo agnovit mihi que publicandam benevole tradidit. Ipse diagnosin ex specc. 2 Herb. Weinm. testari possum.

2. *Phlomis tuberosa* L. In pratis siccis arenosis circa Petropolim rarius (Sobol. Rudolph ex Georgi); in agris incultis siccis et montosis pr. Krasnoe Selo et alibi raro (Sobol. 1802). Superstitem tantum ex horto urbis vidi (in Hb. Baer); indicatur spontanea Mosquae (Stephan) et e Simbirsk adest in Hb. Acad.

01. *Rhinanthus major* Ehrh. Omnes tres adsunt formae a cl. Fries in Mant. III. p. 60 commemoratae:  $\alpha$ . *platypterus*.  $\beta$ . *stenopterus*.  $\gamma$ . *apterus*.

0. *Melampyrum pratense* L. ludit Petropoli (ut in Lapponia ross.) edentulum: foliis floralibus etiam supremis integerrimis; *M. sylvaticum* L. contra in Lapp. ross. et Petropoli etiam dentosum conspicitur, sed non est *M. sylvaticum*  $\beta$ . *gracile* Weinm. 1824 descriptum. *M. sylvaticum* L. (nos-

trum a Suecico vix diversum assumere licet), cui auctores optimi flores erectos adscribunt, semper floribus (sub anthesi) cernuis occurrit.

3. *Linaria minor* Dsf. Petropoli (Rudolph ex Georgi); in arcosis et cultis, uti inter segetes pr. Krasnoe Selo et Livovo atque ad fl. Newa in hortis oleraceis. (Sobol.) Post Kalmium in Fennia a nemine visa. In Livonia pr. Riga (Hb. Zobel).

4. *Linaria Cymbalaria* Mill. In muro arcis Petropolitanae. (Staehtlin ex Gorter 1764, Georgi et Sobol.)

1. *Orobanche Libanotidis*. \* In monte Duderhof, praecipue declivitate orientali locis apricis parasitica in radice *Libanotidis montanae* et forte etiam *Pimpinellae Saxifragae*; floret m. Julio usque ad dimidium Augusti. *Orobanche major* Fl. Petrop. (non L.) hujus synonymon est, saltem ut ex statione citata videtur *Krascheninnikowii* et successorum; circa Krasnoe Selo, Gatschina et Kalodeci a nemine nisi Sobolewskio inventa, quare ignotum, an diversa adhuc apud nos proveniat species. *Orobanche major* Linnaei Fl. Suec., *Wahlenbergii* et *Friesii* planta scanica est, semper in *Centaurea Scabiosa* parasitica et satis a praesente differt, ut e descriptione sequente desumi potest. Caulis plerumque solitarius, rarius 2 — 3 ex eadem matrice, 7 — 15 pollices altus (spec. suppetebant 18), in statu succoso solidus, emarcido vero cavus,  $1\frac{1}{2}$  —  $2\frac{1}{2}$  lin. crassus, glanduloso-villosus, pallide fuscescens, superne vero colore roseo suffusus. Sepala plerumque bifida, nervis 2 validis et 3 — 5 tenuioribus percursa, rarius trifida, 2 — 4 lineas longa, corollâ subtriplo breviora. Corolla (tantum emarcidam investigare licuit) ferrugineo-rufa, 6 — 8 lineas longa, extus undique praesertim dorso breve glanduloso-pubescent, intus excepto labio superiore glabra; tubus 4 — 5 lineas longus, diametro 2 circ. linearum, basin versus angustatus et ad insertionem filamentorum fere constrictus; labii superioris margines interdum evidenter reflexi et dorso corollae accumbentes. Filamenta  $\frac{3}{4}$  lin. a basi corollae inserta, latere interiori a basi usque ad medium pilosa, versus api-

cem glabra aut rarius glandulis parcissimis adspersa. Stylus cum stigmatate ultra medium bifido. (in statu nondum sicco) cerino in cinnamomeum vergente, parce glandulosus, in sicco plerumque glaberrimus, longitudine fere corollae, apice multo magis quam in icone Engl. Bot. t. 568 arcuato-deflexus; lobi stigmatici ovaes. Reliqua ut in descriptione *O. majoris* apud Fries Mant. III. p. 57.

01. *Raphanus* (*Raphanistrum*) *segetum* Reichenb. Ubique in agris, cultis et ruderalis; frequentior quam typus.

0. *Cakile maritima* e Fl. Petrop. apud cl. Ledebour Fl. Ross. desideratur, sed alio quam indicato jam loco scil. in liore ins. Kronstadt 10 spec. inveni; in ins. Laiwasaari leg. cl. Baer; in ins. Stora Mjölö prope Helsingfors cl. af Tengstroem et ipse.

1? *Thlaspi perfoliati* L. inter segetes Upsaliae et Holmiae nuper detecti, indicia jam adsunt; sed unicum tantum spec. mutilatum vidi.

2. (ext.) *Lunaria rediviva* L. Ad fl. Luga inter pagos Curovitza et Nowaja in sylvis copiose (*Kraschen. ex Gorter*). Copiose in litore elevato sylvatico Glint dicto inter Narwa et Reval (*Germann 1807*).

2. *Nasturtium officinale* R. Br. Ad rivulos passim (*Gorter Fl. Ingr. nec Kraschen.*); ad rivulos et fontes circa officinam pyriam Ochtensem, ad Goreloi Kabak et alibi (*Sobol.*); ad rivulum prope Duderhof (*Sobol. 1802*; hoc forsam loco 1835 crevit *Cardamine amara!* fol. ternis, caule basi radicante: *Graewenitz*). In viridario Peterhofiano cl. Horaninow plantam legit N. officinali simillimam, cui tamen auriculae petiolares desunt; facile *Cardamines amarae* forma insolita floribus clandestinis, racemis axillaribus et caule ex axillis radicante et stolonifero; fructus desiderantur. N. officinale ind. e Dorpat.

01. *Cardamine* (*pratensis*) *dentata* Schult. Petropoli passim in humidis umbrosis. Abnormalitatem ( $\delta$ . stoloniferam Dec.?) foliis infimis radicanibus et proliferis leg. cl. Karpinsky.

3. *Barbarea praecox* R. Br. (*Erysimum praecox* Smith)

Abundat in graminosis humidioribus (Weinm. 1824). In Suecia teste Friesio tantum e cultura superstes.

1. *Arabis pendula* L. Ledeb. Fl. Ross. In sepibus prope Pawlowsk spontanea sed rarissima; specimen anno 1820 a cl. Weinmann detectum exacte convenit cum Charcoviensibus. Huc spectat *A. Turrita* Petropolitana (Weinm. 1824; Turcz; Ledebour).

0. *Arabis Gerardi* Besser ex Koch (*A. planisiliqua* Rehb. fig. 4343). In siccis v. g. ad margines agrorum pr. Oranienbaum (ipse); Grafsky Slavianka. (Hb. Weinm.) Huc numeravi *A. sagittatam* Fl. Petrop. Aequa rara hic adest *A. hirsuta* L.

1. *Sisymbrium Thalianum* Gaud. Petropoli in hortis oleaceis (Kraschen. ex Gorter); Koirowa (Gorter 1764); ad pagos circa viam Schlüsselburg. (Sobol.); in arenosis siccis ad et sepes prope Pawlowsk rarius (Weinm. 1824 et ex Ledeb. Fl. Ross.); ad viam Pargolensem, canalem Ligowae et alibi (Turcz.); sat frequens in siccis, ad vias et inter segetes!

1. *Sisymbrium arenosum* m. et non dubito etiam Linn. Fl. Suec. (non Spec. pl) saltem maxima ex parte. Petropoli (Prescott in Hb. Meyer 1830): in horto Imper. botanico olim spontaneum! (C. A. Meyer); in arenosis pr. Pargolam (Hb. Graewenitz). Formam annuam vidi in rudibus lapidosis pr. Pawlowsk et in monte Duderhof; eadem planta est *Sisymbrium Thalianum*  $\beta$ . *lyratum* Koch et Fries 1843, Hb. norm. Suec. VII. 14. At lubenter ad opinionem novissimam cel. Fries, in Hb. norm. X. typicum pro specie propria s. n. „*Arabis suecica*“ exhibentis accedo, licet generi „*Arabidopsis*“ inscribere mallet. *Sisymbrium* hocce et *Arabis arenosa* plantae sunt sibi interdum simillimae et hucusque sine examine situs radicae in semine vix tuto discernendae, hinc alios characteres quaerens optimum ut credo (microscopio tamen composito inspiciendum) e testa seminum desumendum propono; haec enim humefacta setulas e cellulis superficialibus mox protrudit vel erigit, tum in *Sisymbrio arenoso*, tum in *Thaliano*, numquam vero, examinatis specc.

e diversissimis Europae regionibus, in Arabide arenosa. Facile ex anatomia et studio comparativo testae stips non exigua ad systema cruciferarum conferri posset, sed hoc thema dissertationi nostrae alienum est. *Sisymbrium arenosum* annuum plerumque foliis profundius incisus, floribus quidpiam majoribus, siliquis longioribus duplo fere crassioribus et seminibus item majoribus magisque lutescentibus, praesertim vero evolutione a *Sisymbrio Thaliano* —; *Sis. arenosum* bienne vero (nisi in loco natali observatum) haud sine microscopio et seminibus maturis ab Arabide arenosa certissime et semper distinguì potest; differentiae enim ab auctoribus adlatae et descriptiones *A. arenosam* tantum quandam spectant; sub hoc enim titulo hodie species forsitan et quidem multae nondum certe definitae intelliguntur. Qui microscopio uti nolunt vel non possunt, Arab. arenosam in herbariis saepe dignoscent hispiditate corymbi totius et calycis vix unquam lutescentis majore, quam in *Sis. arenoso*, cujus petala alba tantum siccata subinde violacea evadunt. Sed et patria plantae multum valet v. g. Arabidem arenosam e Fennia (borealem Hb. norm. VII. 15 nondum cum fruct. maturis vidi), unde Linnaeus *Sisymbrium arenosum* suum Fl. Suec. habuit, e Fridericia et Helsingforsia examini denuo subjectam pro *Sisymbrio*, nec Arabide arenosa haberem; nec ultimum e Fl. Petrop. adhuc vidi; sed e Livonia (Riga et Uddern) et Esthonia (Fokenholm); de planta nimis incompleta a b. Chamisone in arce Iwangorod urbis Narvae lecta, nec non alia undique hirsuta, cum floribus tantum in Hb. Kastalskii Petropolitano suppetente adhuc dubius haereo. Forsan in terra continente hae plantae se invicem fugiunt, ut boreales et australes.

1. *Erucastrum Pollichii* Schimp. et Spenn. Kronstadt: in ruderalis ipsius urbis copiose, sed unico tantum loco, an adventitium? Ex ins. Osilia vidit cl. Ledebour. (Fl. Ross.)

1. *Sinapis nigra* L. Specc. 3 in ruderalis prope urbem, an aufuga? sed in consortione *Sinapeos arvensis* et *Barbareae strictae* anno 1844 aderant. Ind. in paroec. Pojo Fenniae (A. Nylander) et in gubern. Nowgorod.

0? 1. *Sinapis arvensis* Fl. Petrop. saltem e parte potiori est *S. Schkuhriana* Rehb. Iconogr. XII. p. 20 f. 4425 b. in rudibus et fimetis multo frequentior quam *S. arvensis* Rehb. t. 86.

3. *Geranium sanguineum* L. Ingria (Georgi 1800).

2. *Geranium Robertianum* L. Petropoli (Rudolph ex Georgi; Trin. et Libosch.); in rupibus umbrosis circa Pargolam et Strelnam (Sobol.); in montosis Duderhofii (Weim. 1824). Stat. prox: Dorpat (Weim. 1810) et Reval (Hb. Baer).

0. *Geranium sylvaticum* L. floribus albidis in borealioribus frequens, hic rarissimum est et semel tantum hoc anno a me visum; in pratis sylvaticis non raro ludit parviflorum: petalis duplo minoribus 3 — 3½ lin. et interdum lilaciniis Ad hoc proxime accedit *G. sylvaticum*) microcarpum \* e gubernio Pensa, quod rostris et carpidiis (maturis) minoribus, non vel parcissime glanduloso-puberulis a typo recedit; rostrum 7 — 8 lin. longum, carpidia bilinealia sepala subaequantia. Etiam *G. sylvaticum* e sylvis Wolgae fluvii a normali in eo discrepat, quod pilis divaricatis nusquam fere glandulosis tectum sit. — *G. pratense* nostrum fl. violaceis (nec coeruleis ut germanicum describitur et apud Reichenb. Icon. pingitur) interdum *G. sylvatico* non majoribus insigne est.

1. *Geranium bohemicum* L. Prope Kolpinam versus Ischorkam detexit cl. Karpinsky!; pr. Lisinam: Graff! Extra Ingriam in sylvis deustis paroec. Pojo pr. Skarpkulla et in Tavastiae paroec. Längelmäki (F. et A. Nylander).

2? 3. *Geranium columbinum* L. In hortis oleraceis, uti in horto Imp. vulgo italico dicto et in regione Peterburgensi alibique passim. (Sobol.)

2. *Geranium lucidum* L. Circa urbem Nowgorod (Krasch. ex Gorter); Newa (Falk Beitr. II. 220); circa pagum Kalodeci atque urbem Gatschina (Sobol.). Fennia austr. sec. Prytz

1. *Geranium rotundifolium* L. In agris circa montem Duderhof et Krasnoe Selo atque Petropoli in hortis oleraceis (Sobol.). Vidi spec. Petrop. a Stephano ad M. Bieberstein



missa et in Hb. Kastalskii Petrop. Etiam in Fennia austr. indicatur.

2. *M. vulgaris* Fries. (*Malva rotundifolia* Auct. non L. Suec.) In ruderatis, ad vias et sepes hortorum, uti in regione Peterburgensi, circa aedificia legionum Semenowsky et Ismailowsky, tum circa nosocomium maritimum (Sobol. — huc duxi ob citat. Fl. Dan. t. 721, sed *M. borealem* hic vulgarem non habuit); ad domos uti v. g. legionum Ismailowsky alibique (Turcz. qui *M. Henningii* s. borealem seorsum enumerat). E Livonia vidit cl. Ledebour.

2. *Malva sylvestris* L. In insula Crucis, an spontanea? nusquam alias enim vidi (Krasch. Fl. Ingr. mss.; a Gortero omissa). Ind. e Livonia.

4. *Malva crispa* L. In ruderatis circa Petrop. (Rudolph ex Georgi et Sobol.)

4. *Malva verticillata* L. Copiose in horto Imper. italico dicto et in hortis oleraceis circa aedificium legionis Preobraschensky spontanea. (Sobol.) Haec ut praecedens neque in Germania spontanea, forsitan aufugae; majori jure commemoranda esset *Lavatera thuringiaca* L. Mosquae indicata, quam in ruderatis pr. Oranienbaum observavit cl. Kühlewein!

1. *Polygala comosa* Schk. In monte Duderhof et ejus tractu orientali, ubi forma prostrata in Koch Fl. Germ. IV p. 72 memorata fere pedalis; pr. Gostilitzy et Lapuchinka in declivibus et siccioribus locis; e Lisina vidi in Hb. Graff; *P. oxyptera* Fl. Petrop. qua synonymon huc spectat. *P. comosa* prius confusa videtur cum *P. vulgari* L. et Koch, quae hic rarius v. g. pr. Manachtinam (Kühlewein!) et Slaviankam (Hb. Graewenitz) crescit et floribus coerulescentibus (nullo colore roseo admixto), racemo paucifloro, obtusiori (nec apice attenuato vel in statu virgineo comoso) praeter notas communes a *P. comosa* apud nos semper distinguitur; Septembri mense floret, *P. comosa* m. Iunio.

3. *Trifolium rubens* L. Petropoli (Boeber, Georgi, Longmite); in montosis sylvaticis Pargelowii (Sobol.); pr. Krasnoe Selo (Sobol. 1802).

2. (ext.) *Trifolium procumbens* L. Ingria (Georgi 1800). Ind. e prov. balt. ross. et e Hauho Fenn. inter.

3. *Trifolium fragiferum* L. Petropoli (Boeber ex Georgi); in locis humidis circa Katherinhof et alibi frequens. (Sobol.) Stat. prox: ind: Alandia et prov. balt.

2. (ext.) *Anthyllis Vulneraria* L. Ad ostium fl. Narowae in pinetis (Krasch. ex Gorter); fl. Newa (Falk, sed lapsu calami?). Copiose in litore elevato calcareo „Glint“ gubernii Revalensis (Germann 1807).

1. *Lathyrus maritimus* Bigelow. Fries. (*Pisum maritimum* L.) Ad litus arenosum ins. Kronstadt sat copiose (ipse); in litore pr. Oranienbaum unico loco non parce (Kühlewein!). Etiam in litt. sinus Fennici, unde prius vix innotuerat, non rarus videtur v. g. in ins. Stora Mjölö, taeniis portus Frederici; ex ins. Wier (pr. Hochland) adest in Hb. Baer.

1. *Lathyrus pisiformis* L. Singula tantum specimina hujus plantae in umbrosis montis Duderhof, sed diversis locis et annis inventa sunt ab excell. F. Weisse, L. B. Graewenitz et cl. Karpinsky.

3. *Lathyrus heterophyllus* L. Petropoli (Boeber ex Georgi); in vallibus et montibus Pargelowii et Manachtinae (Sobol.); ad radices montis Duderhofii et Pulcovae (Weinm. 1824). An forte commixtus cum forma quadam eximia L. palustris latifolia simulque tenuifolia (Hb. Graewenitz et Kastalsky), quae facile nova species ad Ircutiam usque diffusa, quam vivam et fructiferam nondum examinare licuit.

01. *Lathyrus latifolius* L. Fl. Suec. (quae sec. Fries var. L. sylvestris). Ad fluv. Luga, praesertim autem in montosis Duderhofii! (Krasch. ex Gorter); circa montem Pulcova et Krasnoe Selo. (Sobol.) Synn. Gorteri et Sobol. ad L. heterophyllum duxit cl. Weinm. 1824. In herb. Kühlew. adest specimen Petrop. sterile L. latifolii: stipulis multo latioribus (2—3 lin. latis) et petiolis alatis, an L. platyphyllos Retz?

4. *Vicia monantha* Retz Observ. fasc. 3. 39. Petropoli (Rudolph ex Georgi); in agris circa Krasnoe Selo et montem Duderhof (Sobol.); Sarskoeselo (Sobol. 1802).

2. *Medicago sativa* L. In pratis ad viam Peterhofianam (Weinm. 1824).

01. *Lotus corniculatus* L. In maritimis saepissime glaber; sed forma pilosiuscula quoque adest v. g. pr. Murina (Hb. Graewenitz) et Krasnaja Gorka. (Hb. Kühlew.)

2. *Hypericum hirsutum* L. In locis montosis apricis v. g. Pargola et Manachtina (Sobol.). Ind. e Livonia et Satacunda Fenn. inter. auctore solo Gadd.

4. *Hypericum orientale* L. Ingria (Georgi 1800).

4. *Scorzonera hispanica* L. Ingria (Georgi 1800).

4. *Sonchus palustris* L. In paludibus et humidis circa Petrop. (Boeber ex Georgi et Sobol.); ad ripas fl. Newa (Sobol. 1802).

0. *Sonchus (arvensis) glaber* Schult. In iisdem locis cum *S. arvensi* (Weinm. 1822). *S. intermedius* Trevir, et Koch Syn. sat constans et copiose invenitur, ab hoc vero *S. glaber* et *S. uliginosus* M. Bieb. (etiam Herb. ejus) non adeo diversus videtur; quam forma maritima litorum sinus Fennici, quae anthodia cum pedunculis etiam hispida interdum gerit.

2. *Prenanthes muralis* L. In ruderatis et nemorosis Petropoli (Weinm. 1824).

3. *Hypochaeris radicata* L. In pratis circa Katherinhof (Krasch. ex Gorter; procul dubio *Leontodon auctumnalis*); in monte Poclonnaja et ad viam Peterhofianam (Sobol.); Pargola (Sobol. 1802).

01. *Leontodon hastilis* L. In monte Duderhofii (Krasch. ex Gorter): praecipue circa ecclesiam Fennicam, etiam alibi cum *L. hispido*, sed vix in illum transiens.

01. *Leontodon (auctumnalis) pratensis* Koch. Fere ubique. Adest etiam forma *monocephala* typi ipsius.

4. *Crepis aurea* Tausch. (*Leontodon aureus* L.) Ingria (Georgi 1800).

2. *Hieracium dubium* L. Petropoli (Boeber ex Georgi); in sylvis siccioribus ins. apothecariae, lapideae et alibi (Sobol. c. cit. Fl. Dan. t. 1044); in pascuis subhumidis frequens

(Weinm. 1824); Petropoli (Turcz!). Omnes hi auctores diversum enumerant ab *H. Auricula* et *cymoso*.

1? 2. *Hieracium aurantiacum* L. Petropoli (Rudolph ex Georgi; Longmite); in montosis sylvaticis parcius (Sobol.) v. g. Peterhof et Strelna (Sobol. 1802). Exstat in Hb. Petrop. Kastalskii a spec. Hb. norm. Suec. X foliis angustioribus tantum diversum.

2. *Hieracium sabaudum* L. Fl. Suec. (sive *H. boreale* Fries Nov.) Petrop. in pratis sylvaticis siccis (Boeber ex Georgi et Sobol.); Katherinhof et ad viam Peterhofianam rarius (Sobol. 1802).

1. *Hieracium vulgatum* Fries. Prope Pargolam plura specc. inv. cl. Kühlewein. Hanc speciem in rupestribus subumbrosis Fenniae australis vulgatissimam ex inss. Hochland et Laiwasaari (in Hb. Baer) vidi.

01. *Cirsium setosum* M. Bieb. Inter segetes Pargolae (Weinm. 1824 praeter *C. arvense*); Petropoli frequentius quam typus (ita ut apud Turczan solum *C. setosum* ind.) scil. *C. arvense*, cujus var. *integrifolia* Koch Syn. vulgo, sed specimen Herb. M. Bieberst. (vide Fl. Taur. Cauc. III p. 560) etiam folia sinuato-pinnatifida habet. Adest ut ex Sobol. Fl. Petrop. videtur *C. arvense*  $\delta$ . vestitum Koch. Forsan nonnullis inde minuscularius videbor, quod et varietates communes nimis scrupulose inquiram, sed repetere licet, harum distributionem et valorem extra Europam mediam saepe alias sequi rationes, ac vulgaris opinio est.

3. *Cirsium tataricum* (L.) Wimm. et Grab. Petrop. (Sobol. ex Georgi); in monte Pulcovo, tum in sylvis humidis inter Sarskoselo, Gatschinam et montem Duderhof (Sobol. Fl. Petr. et mss. 1779).

2. *Carduus nutans* L. Petropoli. (Turczan.)

1. *Carduus acanthoides* L. Kronstadt (Prescott ex Turcz.): ibi plura specc. sed unico tantum loco 1844 vidi.

01. *Gnaphalium (uliginosum) pilulare* Wahlenb. et Koch. Non rarum videtur, sed quoad habitum plus minusve ab *icone* Fl. Lapp. recedens.

4. *Gnaphalium alpinum* L. Krascheninnikow (ex Gorter) circa urbem Nowgorod duo specc. mutila sine floribus invenisse putavit, sed pro certo denominare non ausus est.

01. *Filago arvensis* L. Petropoli (Beeber ex Georgi); in arvis montosis pr. Ligowo, Krasnoselo et Rjăbowa rarius (Sobol. Turcz. sine loco; uterque tamen distinguens *F. montanam* L. Willd.); hinc inde in siccis et arenosis, praecipue versus isthmum Kareliae. *F. arvensis* Linn. sec. explicationem lucidam Friesii (Nov. p. 268) est var. *F. montanae* Linn. hic quoque indigenae; sed *F. minima* Fries deest, et puto etiam in Fennia.

2. (ext.) *Eupatorium cannabinum* L. Prope Narwam in insula quadam supra cataractas frequens (Krasch. ex Gorter); ibi in fruticetis subhumidis (Weinm. 1837); ad fl. Newa sec. Falk, sine dubio descriptionis mendo. Dorpat (Herb. Baer).

1 ? 2. *Erigeron canadensis* L. Petrop. (Rudolph ex Georgi): in agris cultis rarius (Sobol.); in siccis lapidosis agris et sylvis circa Krasnoselo (Sobol. 1802); in ruderalis circa urbem (Weinm. 1824). Exstat in Herb. Kastalskii Petropolitani quondam venalibus et me opinante fide dignis; cum vero b. editor nusquam loca specialia adscripserit, incertum manet, an intra fines territorii nostri legerit aut in aliis Ingriae plagis; plantas suspectas praeter cerealia, Phalaridem et *Loniceram tataricam* aufugas, in his herbariis nullas conspexi.

3. *Conyza squarrosa* L. Petropoli (Georgi 1790): in pratis siccis graminosis rarius (Sobol.); in siccis ad margines sylvae pr. Peterhof raro (Sobol. 1802). Indic. Mosquae.

1 ? 2. *Senecio Jacobaeus* L. Ad canalem Ladogae (Krasch. ex Gorter); Newa (Falk Beitr. II. 241); in declivibus et pratis humidis sylv. Manachtinae et Dranicinae (Sobol.); vidi in herb. Kastalskiano. Esthonia media (Hb. Baer).

0. *Senecio paludosus* Fl. Petrop. est quoque genuinus Linnaei Fl. Suec. (Hb. norm. Suec.) sive immunis Wallroth. Incipit 9<sup>no</sup> stadio viae Peterhofianae, in ins. Petrowsky! parcius (Turcz.); Krestowsky (Kühlewein!); Resvoi (Hb. Horaninow!); in fruticetis ins rotundae et Wolnaja copiose; hinc

praecipue versus sinum maris, sed unicum specimen ad canalem Ladogae se invenisse refert Krascheninnikow.

2. (ext.) *Senecio sarracenicus* L. Circa ostium Narowae fluv. in saliceto (Krasch. ex Gorter) Genuinum (Koch Syn.) e Curonia in Hb. Kühlew. examinavi.

4. *Cineraria glauca* L. Gmel. Fl. Sibir. t. 74. Petropoli (Rudolph ex Georgi): in monte Duderhof et circa pagum Kalodeci in sylvis montosis. (Sobol.)

2. *Ligularia sibirica* Cass. Petropoli (Boeber ex Georgi) circa Gatschinam et in monte Duderhof. (Sobol.)

4. *Aster Amellus* L. Ingria (Georgi 1800).

1. (inq?) *Inula Helenium* L. In hortis Nowgorodensis tractus (Krasch. ex Gorter); etiam in hortis Petropoli (Gorter 1761); ubique in hortis et ad sepes hortorum spontanea (Sobol.); similibus locis pr. Pargolam (Kühlewein!), sic etiam in Fennia australi v. g. circa Borgoam. Indicatur quoque in circulo Nikolajewsk gubernii Wologda (Georgi Nachträge ad op. cit. 1800 p. 306).

2. *Chrysanthemum segetum* L. Petropoli (Boeber ex Georgi); inter segetes et ad margines agrorum circa Ligowo et Krasnoselo. (Sobol.) Extra Ingriam pr. Riga (Hb. Zobel); ind. etiam in Fennia media: St. Michel et in gub. Olonetz.

2. *Anthemis Cotula* L. Petropoli (Sobol. ex Georgi): in hortis oleraceis et ubique ad pagos, nec non vias in locis ruderatis, etiam inter segetes (Sobol. Fl. Petr. et mss 1779); pr. fabricas terrae murrhinae ad pagum Ribaczia et in inss. Newae fl. (Sobol. 1802); in locis cultis pinguioribus (Weinm. 1824); forsitan praetervisa, sed a simillimis *Matricariis*: *Chamomilla* et inodora receptaculo paleaceo, ab *Anthemide* arvensi paleis receptaculi conici non lanceolatis sed lineari-setaceis indagatores dignoscent.

? (ext.) *Anacyclus Pyrethrum* Link. Ingria (Georgi 1800). An huc? *Anthemis Pyrethrum* Mill. (Sobol.) ad fl. Wolchow in pratis circa pagum Tschudowo unicum specimen. (Krasch. ex Gorter, sine nomine, cf. p. 137; an *Pyrethrum corymbosum* Mosquae indicatum?)

2. (auf?) *Pyrethrum Parthenium* Sm. Petropoli (Boeber ex Georgi); etiam in ipsa urbe ad sepes hortorum et in hortis oleraceis, nec non ruderalis (Sobol.). Ind. Mosquae.

01. *Achillea cartilaginea* Ledeb. In locis incultis pr. Ochtam

2. *Serratula tinctoria* L. Petropoli (Rudolph ex Georgi); in pratis sylvaticis circa pagum Ochta et prope ejus ecclesiam, nec non in viciniis Sarskoselo et montis Pulcovo. (Sobol.)

01. *Centaurea Scabiosa* L. ludit quidem capitulis 7 — 15 lineas latis, fimbriis appendicum  $\frac{1}{4}$  — 1 lineam longis vel rudimentariis, appendicibus ipsis pl. m. latis et magnis; sed varietas notabilis est: *C. melanocephala* \* a typo differens capitulis fusco-atris magnis, appendicibus involucris solito majoribus subglabris squamas occultantibus! (serie intima tantum prominente), fimbriis 1 — 2 lineas longis. Haec Petropoli jam a b. Nippa lecta, non rara videtur v. g. circa Jukki (Kühlewein!); multum quidem convenit cum descriptione *C. Kotschyanae* apud Koch Syn. 473, folia tamen in nostra saepe bipinnatifida, non lanata, neque lyrato-pinnatifida; caulis superne plerumque ramosus polycephalus.

01. *Centaurea* (*Jacea*) *pratensis* Thuill. Passim, at saepe in typum abiens. Ad hanc spectat *C. Jacea*  $\gamma$ . Weinm. 1824, si folia basi profunde unidentata et  $\delta$ . (*C. livonica* Weinm. 1810) si folia inferiora sinuata, suprema vero integerrima sunt.

0. *Centaurea phrygia* L. Fl. Suec. In pratis pr. Katherinhof (Kraschen. ex Gorter) et alibi in sylvis montosis (Sobol.); in locis herbidis (Weinm. 1824 pro *C. phrygia* var. 2. M. Bieber. Fl. Taur. Cauc. III. p. 587, quae teste Hb. ejus: *C. austriaca* Koch e Mosqua, fimbriis paulo longioribus); Petropoli (Turczan.). Species critica, de cujus interpretatione auctores jure meritoque celebratissimi Reichenbach, Koch et Decandolle discrepant. Nescio, an fidem adipiscar, si numerum opinionum recedentium augeam, contendens, neminem recentiori tempore veram et genuinam *C. phrygiam* Linnaei

Fl. Suec. p. 301 n. 775 proposuisse; ibi enim (nec in codice Richteriano) verba Linnaei inveniuntur „habitat in Nylandia, Tavastia vulgaris, nec non in Savolax“. Vix igitur dubitare licet, plantas e Tavastia pr. Hottola lectas, in Museo Soc. Fl. Fennicae a me visas et denuo examinatas, non esse *C. phrygiam* L. Succ.; hae vero et Petropolitanae vulgares ne minime quidem diversae. Plantam praeterea inquisivi e Savonia (loco Linnaei) in paroecia Kerimäki lectam, quae quidem formam communem praecedentem non refert, sed pariter specie non differt, minime vero *C. nervosa* vel *phrygia* Koch (semper Synopseos edit. 1 et 2 intelligo) est, sed ipsius *C. austriacae* K! forma: appendicibus squamarum suberectis latioribus et brevioribus, intimis fuscis nec nigricantibus. In pluribus specc. e Savonia hanc differentiam equidem constantem inveni, sed alias licet rariores formas *C. austriacae* etiam e Petropoli mox adferam; in dicto specimine e Savolax achenia papposa, hinc neque *C. nigrescens*, neque *C. transalpina* erat. *C. phrygia* L. Spec. pl. edit. 1ma mixta species est (quo in casu consensu omnium auctorum meliorum ad Fl. Suec. recurrendum est) et a Linnaeo non solum in Fiurlandia, sed etiam in Austria et Helvetia, quo ultimo loco *C. austriaca* Koch haud crescit, indicatur. Jacea quarta austriaca capite villosa Clus. hist. 2. p. 7 cum icone satis rudi nil probat et pari jure *C. austriaca* Willd. et Koch esse potest. Patet etiam, patriam „Finlandiam“ in Prodr. Decandollii sub *C. phrygia* delendam esse, ejus *C. phrygia* enim est *C. nervosa* Willd. et Koch et vix in Rossia occurrit. *Centaurea phrygia* Willd. et Koch, nec non Ledeb. Fl. Ross. (excl. syn. Decand. et pl. stat.), quae potius *C. Pseudophrygia* C. A. Meyer adpellanda est, certe Petropoli non adest, neque in Fennia, ut puto, inveniatur.

01. *Centaurea* (*phrygia*) *fusca* Koch Taschenb. et Syn. edit. 2. sub *C. austriaca*  $\beta$ . etiam Petropoli adest v. g. pr. Lisinam (Graff!).

01. *Centaurea* (*phrygia*) *remota*\*: squamarum anthodii appendicibus remotioribus, brevius setigeris. Haec var. fere



*C. transalpinam* Schleicheri! refert, sed pappo evidenter praesente differt, in typum vero abit. Crescit inter *C. phrygiam* nostram et *C. Jaceam* v. g. *Pargolae* (Hb. Kühlewein).

3. *Orchis odoratissima* L. Petropoli (Falk. Beitr. II. 248) ibi et pr. Schlüsselburg (Georgi s. n: *O. odorata*); in pratis sylvaticis humidis et montosis Murinae, Strelnae et Peterhofii. (Sobol.) Indicatur in Gothlandia et prov. balt. ross. An *Gymnadenia borealis* Fries? *G. conopseam* credidisset, nisi hanc seorsum enumerasset.

0. *Orchis latifolia* Fl. Petrop. est *O. incarnata* L. sec studia novissima Friesii; sed Kraschen. ex Gorter (praeter *O. maculatam*) illius varietatem adtulerunt foliis maculatis, forsitan haec vera *O. latifolia* L. et Fries Hb. norm. VII per Fenniam usque ad fines boreales lacus Onegae dispersa (F. Nylander 1844). Indaganda in sylvis udis inter pagos Strelna et Rumkina. (ex Kraschen.)

0. *Orchis bifolia* Fl. Petrop. est *Platanthera bifolia* Reichenb. (non Richard); vix distinguere potui *P. solstitiale* Drejeri; labellum hujus  $4\frac{1}{2}$  lin. longum et 1 lin. latum, sed spec. labello  $3\frac{1}{2}$  lin. longo in eodem prato; ad var. minorem Wallroth 1842 pertinere videtur var. *pumila*, foliis 2 ovatis, floribus paucioribus: Kraschen. ex Gorter (olim in ins. Petrowsky).

0 *Ophrys liliifolia* Ehret 1764 tab. 4 (Gorter et Sobol.) est *Malaxis monophylla* Sw. sec. cit. Buxbaum III. t. 26.

4. *Spiranthes auctumnalis* Richd. (*Ophrys spiralis* L.) Newa (Falk Beitr. II. 248); Ingria (Georgi 1800).

02. *Epipactis viridiflora* Hoffm. (*Serapias latifolia*  $\beta$ . *sylvestris* Pers.) In fruticetis horti Imper. Gatschinensis (Weinmann 1824).

01. *Epipactis atrorubens* Reichb. (*E. media*  $\gamma$  Fries 1839) In apricis siccis montis humilioris pr. Duderhof; frequentior quam *E. latifolia* viridiflora hic occurrit; videant, an forsitan adsit *E. latifolia* var. *atrorubens* Fries 1839.

1. *Listera cordata* R. Br. In sylvis paludosis umbrosis vastissimis rarius; inter myriades Rubi Chamaemori in sylvia paludosa circa Krasnoi Kabak 4 tantum spec. legit Laxmann

(Gorter 1764); in sylvis pr. viam ad Pawlowsk ducentem (Sobol. 1802); pr. Manachtinam! (Prescott ex Turczan.); prope scholam saltuariam unicum spec. inv. cl. Schychowsky.

1. *Calypso borealis* Salisb. In sylvaticis montis Duderhof unico loco et semel tantum 25 speciminibus reperta (1818 Trin. et Liboschitz, cujus exempl 2 in Hb. Acad. adhuc exstant); Ingria: ad finem sinus Fennici (Wahlenberg 1826).

2. *Malaxis paludosa* Sw. In paludosis cum *Listera cordata* circa Krasnoi Kabak rarius (Laxmann ex Gorter 1764); in monte Duderhof et ad viam Peterhofianam (Sobol. 1802); circa Petrop. (Turczan.) Spec. ex Olonetz in Hb. Acad.

3. *Carex pulicaris* L. Petropoli (Rudolph ex Georgi); in paludosis frequens (Sobol. est *C. leucoglochis* sec. Weinmann 1824).

1. *Carex tenella* Schkuhr et Fl. Petrop. bene diversa est a *C. loliacea* L., utrasque denuo exposuit cl. Nylander in Spic. Fl. Fenn. II. n. 92 et 93. In sylvis apertis humidis in vicinitate arborum vetustarum pr. Pawlowsk et alibi cum *C. loliacea* (Weinm. 1822 et 1824); in paludosis prope pagum quendam principis Urussow, circiter 40 stad. ab urbe in regione viae Wiburgensis, nec non pr. Systerbeck (Prescott ex Turcz.); pr. Lisina (Graff!).

3. *Carex arenaria* L. Ad ripam Newae fl. pr. Katherinhof (Gorter et Sobol. nec Kraschen. qui potius in mss. *C. stellulata* vel *C. muricata* intellexit; *C. muricata* Gorter et Sobol. cum *C. stellulata* et forsitan *C. curta* commixta videtur, quare in stabiliendis numeris periodorum hae 3 species Turcz. et Weinm. ut primis auctoribus adscribendae sunt). Ind. in isthmo Kareliae pr. Mohla et in Fennia interiore.

01. *Carex* (*muricata*) *fraterna* In declivibus, siccis, sub-apricis montium pr. Duderhof et Lapuchinka cum *C. muricata*, in quam vix transit. E descriptione sola, sine comparatione fontium instituta facile pro *C. muricata*  $\beta$ . Koch Syn. sumi posset, sed Lumnitzer *C. nemorosam* suam cum *C. stellulata* comparat et icon Hostii IV tab. 81 potissimum spica duplo longiori et spiculis magis interruptis a nostra recedit,

utraque etiam in umbrosis et humidis crescit. Accedit et alia causa; adest enim Petropoli seorsum forma pallido-virens *C. muricatae*: fructibus virentibus non castaneis vel fuscescentibus, bracteolis pallidis majoribus, excepto nervo fere albidis bracteis setaceis spiculas infimas depauperatas parum remotas distincte vel longe excedentibus; talis forma virens etiam *C. muricata*  $\beta$ . loliacea Schk. ob verba in fine expositionis l. c. sed figura ejus nostrae minus apta, nec quaedam adest *C. fraternae* similis in hoc opere. Hinc ratius duxi, praesentem nomine novo proponere, quam nullo aut inepto *C. nemorosae* vel virentis. Ex habitu quodam modo ad specimina juniora et angustiora *C. vulpinae* accedit et facile quoque species bene diversa a *C. muricata*: non solum bracteolis et fructibus majoribus, pallidioribus, (etiam maturissimis) multo minus squarrosis, trinerviis, serotinis; sed et spica a forma subaequali cylindrica in ovato-oblongam vergente, dum in *C. muricata* potius ratio inversa ob spiculas terminales fastigiato-congestas et inferiores remotiores, quasi minores. Exacte eandem in ins. Walamo lacus Ladogae legi et alibi in Rossia europaea obvenire videtur sub nomine *C. muricatae*. Nostra *C. muricata* certe est illa Schkuhrii et sec. spec. Upsal. Hb. Ehrhartiani etiam Linnaei esset, nisi in Hb norm. Suec. IX alia forsitan exstet, quae fere *C. fraternae* depauperata. Bracteae in specc. numerosis *C. fraternae* examinatis ad basin spicularum semper setaceae spiculamque superantes, infima longior.

1. *Carex vitilis* Fries Nov. Mant. III. p. 137. Hb. norm. Suec. VII. Petropoli in graminosis umbrosis non rara, copiosa et optima in sylvis humidis pr. Lapuchinka. A *C. Persoonii* Sieber! differt rostro quidpiam scabriore, squamis minus variegatis, rhizomate laxo, et habitu flaccidiori, an ex insufficientia specc. Sieberi?

1. *Carex paradoxa* Willd. saltem Schkuhr Caric. Petropoli, in spongiosis humidis (Weinm 1824); in paludosis maritimis ad viam Peterhofianam et alibi. (Turczan) Specc. indigena ex herb. Weinm. cum *C. paniculata* Schk. caute

comparata sunt. Nostra adest adhuc in reg. bor. lacus Ladogae (Nylander 1844) et pr. Archangelsk, unde cl. Bohuslaw misit.

3. *Carex tomentosa* L. In sylvis elevatioribus agri Petropolitani (Weinm. 1824).

4. *Carex saxatilis* L. Ingria (Georgi 1800).

0. *Carex vulgaris* Fries 1842 (*C. Goodenovii* Gay). Synonyma sunt: *C. caespitosa* Fl. Petrop. saltem maxima ex parte et *C. acuta*  $\alpha$ . *nigra vulgaris* Sobol. Fl. Petrop. Etiam hic vulgatissima hujus affinitatis.

1. *Carex Drejeri* Lang (*C. caespitosa* L. genuina et *C. tenuis* Schum. sec. Fries). Petropoli (Lang in Regensb. bot. Zeitung 1843) passim.

1. *Carex aquatilis* Wahlenb. Petropoli non rara.

1. *Carex irrigua* Wahlenb. Petropoli (Weinm. 1822 et 1824): non rara in sphagnosis aliisque locis humidis. Interdum spica foeminea variegata e squamis nigrescentibus et fructibus viridibus.

1. *Carex vaginata* Tausch! (borealis). In pratis insularum Newae fl. copiose et multo praecocior quam *C. panicea*; etiam alibi v. g. Pargola (Kühlewein!). Plerumque elatior et rostro fructuum paulo longiori instructa quam planta Suedica; spica mascula rarius refracta; foliis caulinis deorsum magnitudine descrescentibus et virore statim dignoscitur a *C. panicea* eximie glauca; rarius folia caulina suprema ad 4—5 poll. usque longa sunt. *C. sparsiflora* Wahlenb. tanquam varietas *C. paniceae* proposita, teste Hb. norm. Suec. X omnino nostra est *C. vaginata*.

1. *Carex pediformis* C. A. Meyer. Petropoli in locis siccis (Prescott pro var. *C. digitatae* in Hb. Kühlewein; Bongard in Hb. Acad. schedulae nomen inscripsit „*C. obovata*“ Goldbachii). Cum *C. pediformi* genuina (Kamtschatica) congruit exceptis squamis fructuum, quae in nostra paulo intensius fuscescunt et forsitan aliis notis e spec. paucis haud tuto stabilendis, quare planta Petropolitana olim rite exposita nomen

Goldbachii facile servabit. Etiam in Fennia interiore v. g. ad rupes umbrosas Tavastiae (F. Nylander 1844).

2. *Carex Drymeja* L. In vivario Pawlowsk. (Weinmann 1824.)

1. *Carex orthostachys* C. A. Meyer in Ledeb. Fl. Alt., quae in locis humidis vel paludibus crescit, etiam pr. Lissianam nuper lecta est a cl. Graff. A *C. hirta*, cujus faciem prae se fert, dignoscitur: rostris utriculorum (ad  $1\frac{1}{2}$  lin. usque) longis, utriculis ipsis dorso vel (ut in typo) glabris, vel (ut in Petrop.) ad nervos tantum sparse setuloso-hirtis; spicarum masc. 3—4 pollicarium squamis dorso glaberrimis, truncatis, medio setigeris: seta lineam usque longa. Affinis *C. trichocarpa* Mühlbg. differt potissimum indumento fructus et glabritie foliorum et vaginarum.

1. *Carex rhyrachophysa* C. A. Meyer in Ind. sem. hort. Petrop. 1844. *C. ampullacea*  $\beta$ . robusta Weinm. Fl. Petrop. 1837 solum nomen. *C. robusta* Nylander Spicil. II. 16. *C. bullata laevirostris* Fries Nov. Mant. II. et Hb. norm. VII. alia synn. vide in Regensb. bot. Zeitung. 1845. p. 47. Petropoli (Meyer 1844): in fossis aqua stagnante repletis et paludosis non rara, in reg. elevata et demissa.

01. *Betula alba* L. Fl. Suec. Hujus forma: verrucosa Meyer passim obvia. Frequens adest *B. carpathica* Willd. s. glutinosa Wallr! (etiam pendula) et *B. pubescens* Ehrh. Fruticem *B. carpathicae* singularem microphyllum 5—6 ped. trunco basi adscendente pr. Manachtinam obs. cl. Kühlewein; folia gerit pollicaria in diametro vel minora, obtusa, suborbiculato-ovalia; amenta sine Aug. m. (2 lineas usque) crassa.

2. *Ceratophyllum submersum* L. Petropoli (Ledeb. Fl. Ross., nec Weinm.); e Livonia vidit cl. Ledebour.

1. *Myriophyllum alterniflorum* Decand. Postquam hanc speciem in Rossia nullibi indicatam in isthmo Kareliae pr. Kivinemi inveneram, vix scrupulus de proventu illius circa Petropolim restabat; specc. modo vidi Teitzensia in Hb. Weinmanni, sed sine dubio alibi etiam crescit. *M. verticillatum* hic quoque in *M. pectinatum* Dec. aberrat.

1. *Amaranthus Blitum* L. Petropoli (Rudolph ex Georgi); in ruderatis cultis et ad sepes hortorum, praecipue in aedificiis legionum Praetorianarum (Sobol.); in ruderibus pr. Tsarskoe Selo et in hortis suburbii recentiori tempore invenerunt cll. Weinmann et Bohuslaw. Vidi specc. in Hb. Weinm.

4. *Parietaria officinalis* L. Petropoli (Rudolph ex Georgi); in ruderatis circa urbem. (Sobol.)

0. *Salix hermaphroditica* L. Petrop. (Sobol. ex Georgi): in sylvis prope viam a Tsarskoe Selo ad Gatschinam ducentem (Sobol. Fl. Petrop et mss. 1779). Nil nisi ipsa *S. pentandra* monstrose hermaphrodita dicitur; ejusmodi quoque *S. nigricantem* Fr. observavi.

2. *Salix Meyeriana* Rostk. in Willd. Petropoli (Besser Bull. soc. Mosc. 1839, sub qua verisimiliter *S. cuspidatam* Schultz intellexit).

(1.) *Salix undulata* Ehrh. In fruticetis elevatioribus et humidioribus (Weinm. 1824). Vidi spec. (an spontaneum?) in Hb. Acad.

(1.) *Salix alba* L. Petropoli (Pallas Fl. Ross. 1788): in vico Strelna circa sepes hortorum et passim in sylvis (Sobol.); ubique culta, videtur! (Turczan.)

(1.) *Salix acutifolia* Willd. Petropoli. (Turczan.) Non dubito, huc pertinere *S. daphnoidem*  $\beta$ . *angustifoliam* Weinm. 1837, in loco enim indicato: ad pagos inter Tsarskoe Selo et montem Duderhof *S. acutifolia* crescit e relatione incolarum olim plantata. Salicem hanc venustam ad lacum Ladoga certe indigenam statui posse, sane laetor; copiosissime sed frutescentem solum in litore arenoso pr. Kexholm obs. cl. Kühlewein et ipse; insuper specc. e paroecia Sakkola ad Ladogam pr. Taipale a cl. Appelberg relata in Hb. Soc. Fl. Fennicae vidi.

(1.) *Salix purpurea* L. In sylvis circa Strelnam et Petropoli ad hortorum sepes (Sobol.); sed vix nisi specc. plantata adsunt.

4. *Salix lanata* L. Petropoli (Rudolph ex Georgi): in mon-

tosis humidis (Sobol.); pr. Manachtinam et Murinam (Sobolewsky 1802).

02. *Salix uliginosa* Willd. in fruticetis paludosis (Weinmann 1824).

1. *Salix silesiaca* Willd. Petropoli (var. *leiocarpa latifolia* sec. Besser Bull. soc. Mosc. 1839); var. *eriocarpam* e Pawlowsk a cl. Weinmann jam anno 1817 ad M. Bieberstein missam in Hb. Acad. vidi.

3. *Salix hastata* L. Ingria. (Pallas Fl. Ross. 1788. citat. Fl. Lapon. tab 8. g.)

0. *Salix nigricans* Wahlenb. Petrop. (Turcz.) est i. q. *S. phylicifolia* β. Weinm. 1837. (*S. nigricans eriocarpa* Fries et Koch Syn.)

0. *Salix Ammaniana* Willd. Petrop. (Turcz.) est i. q. *S. nigricans leiocarpa* Fries et Koch, sive *S. phylicifolia* α. Weinm. 1837 (excl. syn. dub. Linn.). Folia adulta inferiora subtus etiam glaucescunt et cum extensione atque gradu glaucescunt puncta albida (in hac specie characteristica, at in vivo haud praesentia) evanescent! — juniora vero in eodem ramo concoloria et dense albo-punctata, qua nota praeter stipulas a sterili *S. phylicifolia* Fr. s. bicolore Ehrh. = *S. arbuscula* Weinm. 1837 (excl. cit. Fl. Lapp.) dignoscitur *S. arbuscula* ex Ingria ind. Pallas 1788 sec. cit. Fl. Lapp. t. 8. e est *S. tenuifolia* L. herb. et Fries; haec nondum Petropoli inventa.

2. *Salix angustifolia* Wulf. Petropoli (Besser in Bull. soc. Mosc. 1839). Huc forsā *S. incubacea* L. in pratis Ingriae passim (Kraschen. ex Gorter); pygmaea in Ingriae paludibus abundat (Pallas 1788; an *S. repens*?); Murina (Sobol. 1802); Petrop (Turcz.) *S. incubacea* Linn. ex mente cl. Koch est *S. angustifolia*, Friesio vero auctore *S. ambigua* Koch (vide infra) eadem est.

4. *Salix fusca* Jacq. Petrop. (Rudolph ex Georgi); in pratis humidis circa Murinam et Pargelovium. (Sobol. iconem Jacquini nec opera Linnaei citat, cf. ejus descr.)

1. *Salix versifolia* Wahlenb. sive *S. fusca* Linn. sec. Fries.

In fruticetis spongiosis (Weinm. 1824 s. n. *S. fusca* Linn.); fruticulum unicum foemineum inter *S. myrtilloidem* et *S. limosam* circa Pargolam detex. cl. Kühlewein. In diversis fasciculis Hb. norm. Suec. formae duae *S. versifoliae* exhibitae sunt; nostra quae capsulas glabras, virides (nec nigricantes) et stigmata divisa praebet, fere medium inter illas tenet. A simili *S. aurita*  $\gamma$ . *ambigua* Fries Nov. Mant. I. 55, cujus spec. originale vidi, nostra praecipue differt stylo longo et capsulis subsessilibus.

1. *Salix ambigua* Koch Syn? Specimen unicum exstat Salicis admodum singularis (in Hb. Acad.), a cl. Monin circa Petropolim detectae et ab ipso in Salicibus versato cl. viro pro *S. versifolia* (scil. ad mentem Seringii, agnitae, quod potissimum a descriptione *S. ambiguae* in Synopsi Kochiana et specc. authenticis Friesii (*S. plicatae* nomine) abludit: capsulis longius pedicellatis, foliis non solum senilibus sed et juvenilibus subtus ad nervos adpresse pubescentibus (nec dense sericeis), obtusioribus, subtus punctatis, nonnullis facie *S. myrtilloidis*, ita, ut ex descriptione aptissima *S. Finmarkicae* in Friesii Nov. Mant. II pro hac habuissem, nisi capsulae glaberrimae dicerentur.

0? *Salix caesia* Vill. cum synn: *S. myrtilloides* Willd. spec. et *S. prostrata* Ehrh. Ser. in fruticetis humidioribus (Weinm. 1824); *S. Weinmanniana* C. Sprengel (mss?) in sylvis acerosis humidis spongiosis pr. Pawlowsk est *S. myrtilloides* Linn! Weinm. 1822, 1824.

4 *Chara commutata*, ad quam *Ch. flexilis* Fl. Petropol. Weinm. 1824 et Turcz. spectat, communissima est, forsan sola e Nitellis. E multis formis tantum capitata\* afferam, ne cum *Ch. capitata* N. E. simillima sed dioica commisceatur; tubuli et rami duplo tenuiores sunt quam in *Ch. commutata* typica, statura 2—3 poll., rami verticillorum pluries divisi, globuli et nuculae fere omnes capitato-congestae, mucro largo involutae; in aqua dulci substagnante exeunte Julio cum forma alia sterili, crassiori, opaca (an *N. opaca* Ag?)



inveni. — Var. Ch. vulgaris, Ch. spinosae et Ch. pulchellae Petrop. vide in Diss. de Crypt. vasc. Ross.

1. Equisetum litorale Kühleweini. \* In litore arenoso marino pr. Oranienbaum in societate Lathyri maritimi, Elymi et c. detexit et sub nomine all. communicavit cl. Kühlewein. Non sine studiis antecessis Equisetum hocce eximium pro planta sui juris commendare ausus sum; videmus quasi hiatum inter formas cognitae quasdam E. arvensis et E. fluviatile eo expleri et forsitan evolutionem summam seriei parum adhuc notae, cujus exordium in E. arctico quaerendum. Habitus formarum gracilium E. fluviatilis (vidi infra), sed vaginae caulinae indolis alienissimae: dentes more E. arvensis steriles latiores, albo-marginati, plerumque per paria connati et c.; etiam spicae longius pedunculatae, brevissime ovatae, peltis senilibus densioribus parum hiantibus; ramuli numquam pentagoni. Inter varietates E. arvensis cum nostro forsitan comparari posset E. campestre ob surculos fertiles verticillato-ramosos, sed praeter alias notas spica crassa et praecipue vaginis atris longis, infundibuliformibus, inflatis discedit. Ex indole vaginarum juxta E. arcticum ponendum esset, sed reliqui characteres abluunt. Surculi fertiles numerosi caespitem constituentes pl. m. pedem longi sunt,  $\frac{1}{2}$  —  $1\frac{1}{4}$  lineae crassi, erecti, ramis plerumque numerosis verticillatis, quadrangularibus, strictis, erecto-patentibus, satis tenuibus vestiti; nodi infra spicam 2 — 5 nudi; spica gracillima, 1 — 4 lin. longa, ad summum  $1\frac{1}{2}$  lin. lata, primo sessilis, dein pedunculo  $\frac{1}{2}$  pollicari fulta. Initio Julii m. optimum, serius spica facile caduca, quo statu cum surculo sterili E. arvensis cujusdam stricti commutari posset.

01. Equiseti arvensis varr: scil. E. boreale Bong, E. alpestre Wahlenb., E. campestre Schultz et c. vide Diss. de Crypt. vasc. Ross. ut in subseqq

1. Equisetum sylvaticum L. In sylvis umbrosis totius Ingriae (Kraschen. ex Gorter et Sobol.); Petropoli frequens! (Weinm. 1824, Turcz.)

01. Equisetum capillare Hoffm.

01. *Equisetum tenellum* Fries.

01. *Equisetum fluviatile* et *limosum* hic frequentissime occurrunt spicis admodum gracilibus et surculis saepe tenuioribus; haec forma gracilis ex aetate diversa minime pendet, et digna attamen videtur, ut a typo separetur; spicae 3 — 6 lin. longae sunt, lineam circiter latae, pedicello subinde sesquilineali insidentes; forsan est *E. limosum* minus Döll Rhein. Fl. 1843 p. 30 aut? *E. uliginosum* Willd. sed de spicis a typo diversis ibi nil dictum; ramuli in nostris quadrangulares.

01. *Lycopodium sabinaefolium* Willd.

2. *Osmunda regalis* L. Prope Lembalowa (Laxmann ex Georgi); in nemoribus humidis ad rivulos circa pagum Lembalowa (Laxmann ex Sobol.); *Manachtina* (Sobol. 1802).

1. *Botrychium virginianum* Sw.

1. *Botrychium lanceolatum*\* Crypt. vasc. Ross. n. 48 β. Alterum praeter l. c. a me visum specimen in sylvaticis siccis inter Gorielowo et Koirowo nuper inv. cl. Karpinsky. Ex eodem quoque fonte accepi insperatum Americae septentrionalis: *Botrychium simplex* Hitchcock sec. Hooker Fl. Bor. Amer. p. 265 circa Petropolim inter Ligowkam et pagum Nowaja secus vias detectum; indicatio haec praevie tantum facta ob specc. (2) insufficientiam, quae differentias a *B. lanceolato* exponere haud permittit, licet praeter formam et divisuram folii etiam teneritas, nec non color in sicco et vivo virescens (nec lutescens) notas forsan praebere possent; diagnosin pro certo habeo, species vero ipsa formis suis valde diversis nondum limitata; unum specimen ex inventis adprime ad fig. sinistram (majorem) Hooker et Grev. Icon. Filic. tab. 82, alterum ad specimen Torreyanum in Hb. Acad. referendum, quod a fig. dextra l. c. Icon. Fil. folio fructificationi magis approximato et duplo fere minori differt.

2. (ext.) *Asplenium Ruta muraria* L. Ingria (Georgi 1800).

3. *Asplenium trichomanoides* Fl. Dan. t. 119 in montosis circa Petropolim. (Rudolph ex Georgi et Sobol.)

2. *Asplenium septentrionale* Sw. Ingrida (Georgi 1800); in sylvis lapidosis pr. Murina et Pargola (Sobol. 1802).

4. *Polypodium regium* L. In sylvis humidis umbrosis inter Sarsko Selo et Gatschina sat copiose, vulgo in ins. lapidea occurrere dicitur (Sobol. Fl. Petrop. et mss. 1779; sed nec *Cystopt. fragilem*, neque *Aspidium dilatatum* vel *spinulosum* enumerat).

01. *Aspidium (spinulosum) tanacetifolium*.

„Forsitan haec aliquis (nam sunt quoque) parva vocabit:

Sed, quae non prosunt singula, multa juvant.“

Ovid.







